

18
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

S C O R B U T O ,

Q U A M

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET
DIRECTORIS, SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI,
NEG NON CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM, PRO
GRADU MEDICINAe DOCTORIS RITE CONSEQUENDO, IN ALMA
AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE
PESTINENSI,

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI



BASILIUS MAXIMOVIĆS,

HUNGARUS RIGYICZA-BACSIENSIS.

Theses adnexae publice defendantur in Palatio Universitatis
maiori die Mensis Septembris 1835.

B U D A E

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

— — — exemplo est nostri formica laboris,
Ore trahit quodecumque potest, atque addit acervo
Quem struit.

Horatius.



SPECTABILIBUS AC CLARISSIMIS

D O M I N I S

JOSEPHO^{ET} MICHAËLI KOVÁCS

D E

R I G Y I C Z A.

A. A. L. L. ET PHILOSOPHIAE DOCTORIBUS, COMPLURIUM
INCLYTORUM COMITATUUM TABULAE JUDICIARIAE
ASSESSORIBUS.

FILIIS AC HAEREDIBUS

O L I M

EMERICI KOVÁCS

D I G N I S S I M I S.

VIRIS
AVITA GLORIA.
ILLUSTRIBUS MAJORUM MERITIS TOGA ET SAGO
PARTIS,
NON MINUS QUAM
SCIENTIA, HUMANITATE ET LIBERALITATE
IN SIGNIBUS.
BENEFATORIBUS SUIS MUNIFICENTISSIMIS.
MAECENATIBUS GRATIOSISSIMIS.
PERENNIS GRATITUDINIS MONUMENTUM.
HANCCE
LABORUM SUORUM LITERARIO - MEDICORUM
CORONAM.
PROFUNDA CUM VENERATIONE
DAT, DICAT ET DEDICAT.


DEVINCTISSIMUS AUCTOR.

Spectabiles ac Clarissimi Viri!

Quid unquam mihi gratius, aut optabilius obtingere potuit, quam post „tot congestos noctesque diesque labores“, contextam conatibus meis literariis coronam gratiosissimo nomine vestro condecoratam in publicam exmittere lucem; neque enim illam unquam sub aliis, quam vestris auspiciis, seu tutiorem, seu feliciorem fore autumabam, cum quidquid in ea, sive venustatis ab optimarum artium studiis profectae, sive veritatis a fulgido rationis lumine adeptae, sive utilitatis ex ampio Hygienes sinu de promtae continetur, id totum liberalissimae domus vestræ munificentia partum esse candide profiteor.

Enimvero quantos in me adhuc immortalis memoriae EMERICUS, pater vester desideratissimus, congesit favores, quanta beneficia, nec exilis orationis hujus ambitus complecti, nec tenerae, quæ mihi ad dicendum concessæ sunt, in-

genii vires, condigne exprimere valent. Tanto ille me amore fovebat, tantis beneficiis discretam necessitatum mearum temperiem cumulabat, tantaque sollicitudine rebus prospexit meis, ut illum quousque mihi communem mortalium auram spirare licebit, non modo Maecenatem munificum, sed amantissimum plane literarum mearum parentem fuisse sim peroraturus.



Illo vero communi omnium moerore ad aeternitatem coelitus evocato, tantum abest, ut decus et praesidium interierit meum, ut potius in vobis haeredibus virtutum ejus dignissimis majori adhuc emicuerit fulgore, ut qui omnibus ab illo sapientissime coeptis et institutis filiali cum promptitudine morem gerentes, me quoque gratiosissimis alis vestris excepistis, protexistis et fovistis, nam ut silentio praeteream, quam liberali gratoque erga me ferebamini animo, dum Humanitati, dum Philosophiae et omni eruditioni operam navassem, ut nihil loquar de munificentia, quam mihi sacra Hygieae fana obeunti plurimam praestitistis; postremo ut missum faciam omne illud fortunatissimum tempus, quo me per octo annorum seriem domus vestra et favoribus, et gratiis, et honoribus cumulavit maximis, illud unicum omni nectare dulcissimum non possum non commemorare adiumentum, quo

mibi ad summos medicinae nitenti honores gratiō-
sissime adstitistis; vos enim non modo ad su-
scipiendam et ingrediendam horum studiorum
rationem sapienti consilio animum meum dispo-
suistis, eumque longo studiorum stadio saepius
languentem paterna cum fiducia excitastis, ve-
rum etiam ut optatam tandem conquererer me-
tam, largissimis sumptibus suppeditatis, effe-
cristis; vos igitur in superandis longioribus ae-
rumnis salus mea fuistis, in praesente vero in-
auguratione decus et ornamentum meum estis.
Vobis ego omnia mea in acceptis habeo re-
ferenda.



Tantorum ergo benefactorum multitudine
vobis devinctus, quo tandem animo gratitudi-
nis meae sensa testabor? Id ego non alia
per me fieri posse existimo ratione, quam si
quod ipse intime persentio, non modo ad ve-
stram referam conscientiam, verum in celeber-
rimo hocce scientiarum Athenaeo fulgidae bene-
factorum coronae notum reddere adlaborem.

Ex ingenti idcirco scientiae, quae salutife-
rae nomen sibi vindicat, campo, de promtum
isthoc tenue fatigorum meorum documentum,
quod sublime in ea fastigium consensurus,
publicae eruditorum propono meditationi, vo-
bis offerre constitui, non ut illo novum vobis

adderem decus, verum ut sincerae duntaxat pietatis meae testimonium exhiberem, ut profundae venerationis pignus aperirem, ac aeviternum vestrorum beneficiorum exigere monumentum, ut quantum aetas diuturnitatis; tantum laus vestra capiat incrementi.

Suscipite igitur Maecenates gratiosissimi! levidensem hancce meam elucubrationem inaugurem, et cum ea pro vestrī beneficiis gratias habete immortales. Viviē felices, qui me felicem reddere studiūstis. Deus vobis tanta largiatur bona, quanta vos in me contulisti. Vox gratitudinis, vox communis naturae sensus, nullo non tempore apud Superos a me intercedet, ut Vos per longam adhuc annorum seriem dulci Patriae in solatium et emolumentum, Inclytae Prosapiaē decus et ornamentum, carissimis liberis vestrī virtutum et munificentiae exemplum, mihi vero, quem gratiosissimis auspiciis vestrī gloriari patimini, in omnia haec salvos et incolumes servare velint.

Dabam Pestini die 18. mensis Septembri 1835.

Spectabilitatum Vestrarum

Devinctissimus Auctor.

D e f i n i t i o .

Definitio. *ad hoc* *scorbutum* *est* *organismi* *humani* *affectionem*, *quae* *fundatur* *in* *conditione* *haematopoeos* *eum* *in* *modum* *alterata*, *ut* *sanguis* *inde* *emergens* *principio* *vitali* (*oxygenio*) *egenus*, *inflammabili* (*hydrogenio*, *carbonio* *et* *azoto*) *abundet*, *quo* *vis* *illius* *contractiva* *ita* *labefactatur*, *ut* *nitus* *in* *coagulum* *et* *cohaesionem* *deficiat*, *in* *liquationem* *vero* *et* *dissolutionem* *exsuperet*; *unde* *turgor* *vitalis* *imminuit*, *partes* *molles*, *cumprimis* *gingivae* *intumescent* *et* *relaxantur*, *sub* *summa* *cutis* *pellicula* *petechiae* *enascuntur*, *nec* *non* *haemorrhagiae* *et* *diversis* *corporis* *partibus* *contingunt*, *comite* *summo* *virium* *vitalium* *languore*, *Scorbutum* *adpellamus*.

E t y m o l o g i a .

S. 2.

Discrepant huic auctorum opiniones circa veram scorbuti etymologiam, quem alii praeente Wachtero propter acrimoniam sanguinis, ex Saxonico *Schärfe*; alii ex *Schorf*, crusta alicuius impetiginis; alii ex Anglo *Scurf*, et inde enato *Scurvy*, scabies ovis; alii ex Hollandico *Scheurbuik*, *Schärfe des Bauches*, acrimonia abdominalis, et alii ex aliis derivant fontibus. Quaenam harum opinionum proprius veritati accedat, arduum sane ac difficile est determinare.

nare, quoniam multum convenientiae et similitudinis inter se alunt; nihil tamen minus iis, qui eum ex Hollandico Scheurbuik deducunt, fidem praferendam esse censemus, ut qui acrimoniam sanguinis vasa et viscera abdomine reclusa permeantia aduersantes, non modo formam, verum etiam indolem eius caeteris clarius exhibent et exponunt. Quam opinionem iis insuper rationibus tueri valemus, quod Hollandi hunc morbum os et partes eidem vicinas pervicacius infestantem, Scheurmond, acrimoniam oris; pedes vero prae reliquis adgredientem, Scheurbeen, acrimoniam pedum adpellant. Ex hoc dein probabilius Schvecicum Skörbjugg, Germanicum Scharbock, Gallicum Scorbut, Schlawicum Scorb, et Hungaricum Süll y originem traxere.

Historia.

§. 3.

Inculta sunt non minus et prima scorbuti initia, quem alii iam priscis Hygieae ministris notum, alii ex adverso Sprengelio duce morbum recentem esse defendant; si tamen mentem ad cunctas illas, quae scorbutum generare valent, convertamus noxas, hasque ab omni hominum memoria usquequaque operantes perpendamus, ad priorum sententiam amplectendam, quam caeteroquin eruditissimi tuentur viri, non possumus non inclinare.

§. 4.

Ast quamvis gravibus his innixi argumentis, prima scorbuti vestigia ad seram usque porrigi antiquitatem, iure meritoque praetendamus; ejus tamen apud primos Graecorum et Romanorum medicos, prorsus nullae, aut admodum imperfectae et alio nomine insignitae occurrunt notitiae, ita ut chronologiam morbi progressionem nonnisi per analogiam et comparationem prosequi liceat.

§. 5.

Sic magnos illos lienes Graecis perquam calamitosos, a Hippocrate sub nomine μεγάλες δπληνες descriptos: „venter nimurum inflatur, lien vero intumescit et durus evadit, color cutis normalis in pallidum et nigrum mutatur, gingivae graveolentem exhalant odorem atque a dentibus secedunt, ulceræ in tibiis erumpunt foeda, membra vero omnia adtenuantur et excoriantur“ nil nisi scorbutum nostrum fuisse ad altiore tantum malignitatis gradum evectum, eruditissimus Ronseus contra adversarios scepticos, ad unguem evicisse videtur.

§. 6.

Clariores hoc intuitu notiones e monumentis celeberrimi Romanorum historiographi Plinii eruere licet, ut quæ in caesaris exercitu ad Rhenum castra metante, morbos duos novos fontium venenatorum injuriis exortos, Stomacace et Skeletotyrbæ, ipso bello vix non maiores edidisse perhibent calamitates.

§. 7.

Ex hac igitur analogia elucet scorbutum iam antiquissimis notum fuisse temporibus: attamen admodum rarum et usque saeculum decimum quintum quasi peregrinum, exin autem ob exultam profecto artem nauticam, extensam in dies navigandi sphæraram, nec non congressum potentiarum novarum morbo generando idonearum, adeo frequentem evasisse, ut non tantum cancellos oceani egressus ingentem super extremas Septemtrionis provincias ediderit cladem, verum novum quasi et ignotum Pandoræ pixidis donum terris quoque incubuerit nostris.

§. 8.

Saeculo decimo sexto totum fere percrebuit orbem, tamque per Groenlandiam, Norvegiam, Sveciam, Daniam,

Britanniam, Russiam, Belgium et reliquas Germaniae septentrionalis regiones excitavit stragem, ut omnes huius aevi medici suam in illum converterint adattentionem, inter quos Ronseus et Wierus classicò eum descripserunt calam.

S. 9.

Ab hoc tempore scorbutus formidabile evasit generis humani flagellum, quod non solum epidemicum per vices aquiringens dominium nefandas exseruit strages, verum etiam tantam in organismo humana fixit radicem, ut summi in scientia medica viri; Severinus Eugalenus, Senertus, Horstius, Martinus, Willisius, Charletonius, Hoffmannus, Sydenhamus et ipse demum Boerhaavius magnus, dominantis tunc temporis medicinae humoralis genio seducti, omnes vegetationis morbos ex eo originem repetere existimaverint et crediderint.

S. 10.

Saeculo praeterito, quod erat decimum octavum, diris bellorum furis undique sacientibus, pluribus in locis generi humano funestas intulit caedes, e quibus praecipua adtentione dignae sunt: quam C. Kramerus 1737. Vindobonae — J. A. Bona 1761. Veronae — Linduis 1772. Milmanus 1782 et Trotterus 1786. Londini observarunt, nec non quae in classicorum horum virorum operibus reperiuntur.

S. 11.


Nostris temporibus scorbutus fere nunquam deest, verum in variis Europae regionibus vario saevit vigore, modo spadicus per intervalla recurrit, modo latius per populuni gravatur. Ita lugubris adhuc memoriae est epidemia illa, quae in Patria nostra 1803. late per comitatum Temesiensem, Békésiensem, Csannadieensem, Aradinensem et Torontaliensem diffusa, nefandas edidit strages, a Clarissimo epidemiarum ob-

servatore F. A. Schraud adnotata, et ab hac non multum aliena itidem in patrio solo pluribus in locis anno labente observata.

H y p o t y p o s i s .

§. 12.

Scorbutus quemadmodum omnis alter morbus certis temporis locisque limitibus circumscriptus, tria potissimum stadia percurrere solet, ita constituta, ut in singulo eorum multiplicem offerat symptomatum seriem, ex affectione utriusque actionis organicae orientium et emanantium.



Stadium primum, s. morbi incipientis. Initia scorbuti saepe adeo lenta et obscura esse solent, ut tesseram aegritudinis evolvendae admodum arduum sit determinare. Ante omnia vires musculares singulari ratione prosteruntur, quare aegri sufficiens antea robur manifestantes miram ac saepe repertinam aduersant artuum totiusque corporis dedolacionem, cum insolita animi deiectione; unde sustentando corporis ponderi impares, omnem motum recusant, atque summa moestitia confecti anxie solitudinem quaerunt, quo tutius optata fruantur quiete. Debilitas haec mox quoque ad systema nervosum propagatur vitamque sensiferam simul suae subjicit potestati; unde ortum ducunt: hebetudo sensuum externorum, animi desponsio; temulentia, somni desiderium, quin tamen eo reficiantur, respiratio parva et anhelosa, cum primis in aura frigida, pulsus arteriarum exiles, debiles, pa- rum frequentes, imo interdum adeo tardi; ut vix quadraginta ictus intra sexagesimam horae numerari possint. Simul atque haec phaenomena comparent, maculae parvae, rubrae, purpureae, lividae vel etiam atrae pulicū morsibus perquam similes, stigmatis tamen saturatioris defectu dignoscendae, erum-

punt, quae passim peticulae aut petechiae nuncupantur. Sunt
 nil aliud quam exiguae sanguinis pansi, et in partes propo-
 res iam resoluti, sub summa cutis pellicula profusiones. Quae-
 dam medio tenus saturati rubescunt, et ruborem versus pe-
 ripheriam sensim amittunt, aliae aequali rubore imbutae, am-
 bitum distinctum et circumscripsum observant, ab exordio ad
 plenariam extinctionem usque easdem subeunt mutationes,
 quas in echymosisibus a contusione observare licet, ac sine
 ullis desquamationis indicis dissipantur. Nec pruritum, nec
 dolorem, nec alias cuiusdam generis molestiam pariunt. Nunc
 tantum paucae et dispersae, nunc innumerae cutim marmoris
 instar tingentes, efflorescunt praecipue in extremitatibus in-
 ferioribus, speciatim autem in suris et pagina foemorum in-
 teriore; universim in locis opertis, rarissime in illis quae
 aeri et luci continuo obversa sunt comparent. Quandoque
 etiam in partibus internis, in ventriculo et intestinis obser-
 vatae fuere. Maculae ampliae saturate rubentes, vel et atrae,
 quibus integrae interdum partes, uti nasus et pedes omnino
 denigrantur, aut dorsum quasi virgis caesum esset, pictura-
 tum conspicitur, maligniori tantum et sub coelo calidiori
 grassanti scorbuto familiares, ab antiquissimis inde tempor-
 bus vibices s. molopes compellantur. Quemadmodum pete-
 chiae seu comites accidentales in aliis etiam morbis occurre-
 solent; ita etiam scorbutus haud raro absque petechiis decur-
 rere observatur, verum loco earum miliaria, aphtae et furun-
 culi comparent fatales. Labo in dies increscente pedes ad
 malleolos oedematose intumescunt, gingivae relaxantur et al-
 bae instar pituitae pallescunt, tardius vero pruriunt, rubent,
 livent et in tumorem laxum elevantur, atque ad minimam
 pressionem sanguinem atrum tetterime foetentem profundunt.
 Gravibus his vitae organicae affectionibus undique caput ex-
 tollentibus, adpetentia cibi secundum Trotterum incolumis
 persistit, secundum Lindium vero et Fodere ita depravatur,
 ut aegri in acida vegetabilia anxio quadam instinctu duci vi-

deantur. Sanguis sive e venis consulto eductus, sive spontaneo manans fluxu, liquidus est ac dissolutus, discolor, saturate rubens, atropurpureus inque proprias partes non abscedit; vel vero fluidam sat diu conservans consistentiam tandem placentam separat tenuem, mollem, friabilem, quae dgitis facile solvitur, inaequaliter albescit, et luci obversa haud raro multifarios iridis reddit colores; sero abundat turbido viridescente, aut rutilo, citissime in putredinem ruente, et nonnunquam eo jam tempore, quo e vena emittitur foetorem putrem redolente.

§. 14.

Stadium secundum, seu morbi incrementis.

Postquam plures sub hoc rerum statu aegri transegerunt septimanas, cuncta praecedentia phaenomena acerbiora evadunt, novisque et numero et malignitate augmentur. Universi enim organismi vita magis magisque languescente, morbus ulterius proserpit, atque mox quoque solidas adoritur corporis partes, prae reliquis autem in genuum articulos suam exercet saevitatem. Musculi nempe extremitatum inferiorum, imprimis flexores crurum, ita labefactantur, ut aegri sive ex industria, sive inviti pedibus insistere tentent, in deliquium animi incident, et immobiles protinus prosterantur, quin imo saepe saepius extremum etiam halitum expirent. Ipsa vero conditio artuum non raro nullas, alias autem plurimas offert mutationes morbosas; musculi nimirum sursum retrahuntur, genua flectuntur, rigescunt, ac tandem solvuntur, atque in tumorem albo similem (skelotyrbe veterum) convertuntur. Quod phaenomenon aethiopibus captivis adeo infensum fuisse asserit Trotterus, ut nec unicus eo correptus mortem effugisse fuerit visus: tumor quippe durus, digito prementi non cedens, musculis imprimis antibrachii adfixus, trismo, tetano, subsultu tendinuum, car-

phlogia et crocodismo stipatus, aethiopibus captivis constanti lege lethalis.

§. 15.

Horrenda haec articulorum vitia vix non semper pari passu diri insequuntur dolores, jam rheumaticis iam arthriticis, iam vero syphiliticis aemuli, non modo ad partes externas, lumbos, genua, crura et sternum, verum etiam internas, potissime autem ventriculum et intestina extensi; unde tam atrox exoritur gastrodynus et colica scorbutica, ut aegri in propria saevire cogantur viscera, quod malum a germanis Scharbock appellatur. Morbo ad altiore gradum evecto, aut ingenio epidemiae maligno, aliarum quoque partium diri urgent dolores, uti capitis, renuni, cystidis, hepatis, lienis etc.

§. 16.

Dum haec ita per aliquot septimanarum intervallum excruciant aegrum, colligationis universalis et coruentis virium roboris signa undique emicare incipiunt. Facies quippe lurida magis pallet et squalet, nasus acutius prominet, oculi livido cincti halone in orbitam reconduntur, gingivae inflammantur, aphtis et ulceribus tetris defoedantur; a dentibus retrahuntur, sphacelose solvuntur, aut coaguli cruenti instar laciniatim decidunt, dentes denudati vacillant, quinimo saepe sub ipsa masticatione evelluntur, aut carie corrupti una cum maxillis consumuntur. Analogas his aliae quoque oris partes subeunt mutationes; venae raninae expanduntur, labia, buccae, lingua, palatum, et fauces inflammantur, atqne ita exulcerantur, ut os aegri tetterimum spargat foetorem. Hae affectiones oris in nonnullis casibus peculiari forma comparent, veteribus Stomace, recentioribus ulcus Noma, Anglis Ulcerons erosion of the cheeks nuncupata. His ita saevientibus, digestionis et adsimilationis organa, quae in priori stadio fere

intacta fuere; suo nunc manifeste desinunt fungi officio, vario nempe modo perturbantur, expanduntur, relaxantur et infarciuntur; unde voluminosa exsurgit physconia, perniciosa diarrhoea et exitiosa dysenteria, urina excernitur fusca, atra, imo interdum a soluto cruento sanguinea, pellicula oleosa versicolore in superficie natante ornata, et hypostasi gravi citissime in putredinem ruente instructa.

§. 17.

Cum praevalente hac undique liquatione, in intimo nexu est conditio systematis vasorum, ut quod antea organismo in integritate constituto, unum totum undique clausum et nonnisi sanguinis vaporis pervium efficiebat, nunc pristinae virtutis expers variis hiat locis contentumque vitae cruentem per diversa profundit collatoria; hinc gravissimae exoriuntur haemorrhagiae e diversis corporis partibus: gingivis, labiis, cavo oris, naribus, pulmonibus, ventriculo, hepate, liene, pancreate, utero et tractu intestinali, malo altius proiecto, etiam ex oculis, auribus, mammarum papillis et omnibus vasis cutaneis, ita ut summus ubique conspicatur. Keneangeae gradus. Ipse autem sanguis sive arte, sive casu eductus diversis medicis diversam praesertulit naturam. Veteribus visus fuit putridus et acris. Boerhaavio fibra atra, grumosa et tamen soluta, sero vero salso et acri, mucum copiosum viridescentem in superficie tenente praeditus. Lindio et Milmano, qui sanguinem scorbuticorum a normali nequaquam differe contendunt, hoc Boerhaavii assertum, fibra nempe crassa et tamen soluta, rationi adversum esse videtur. Trotterius asserit sanguinem scorbuticorum a normali longe aberrare, ut qui colore obscure rubro, imo atro praeditus, aegre admodum coagulatur. Cui sententiae etiam summi in medicina viri; Raimannus, Richterus et Haaseius assensum praebere videntur; hi enim cruentem scorbuto affectorum.

ultra normam fluidum, solutum et in putredinem summe proclivem invenerunt. Dissidentes demum has auctorum opiniones illustrissimus Fodere componere conatur; qui sanguinem in scorbuto ad unam organismi partem restricto, e. g. os et gingivas, emissum densa refert notari placenta, eum vero, qui in scorbuto universum organismum prehendente, verum in primo adhuc stadio constituto, ad molestias respirationis sufferendas ex industria educitur, a priori sit esse longe diversum, ut qui nec ab initio uniformis, nec serius in suetas separatur partes, verum ex floridis et obscuris hinc inde striis compositus mixtum exhibet liquorem, senioribus vero mali stadiis sponte suos deserens alveos, summe liquidus et omnis fibrae expers esse videtur.

S. 18.

Summum autem inter symptomata huius stadii meretur respectum cutis et telae cellularis conditio, quae amisso omni vitae vigore, gravem in liquationem septicam contrahit nisum. Petechiae enim per universum cutis ambitum multiplicantur, et in phlyctenarum variae magnitudinis et figurarum supra cutis plagam elevantur, quae sive casu, sive sponte apertae atrum effundunt liquorem, atque exemplo in cacoethica convertuntur ulceræ, sic dicta scorbutica, quae marginibus laxis, tumidis, laceris et fimbriatis circumscripta, excrescentiisque fungosis post extirpationem celerrime regenerandis fundo insitis notata, ichorem secernunt sanguinolentum vicinas partes causticorum more corrodentem, corrosione vero in ipsam compagem osseam se se insinuante, tanta effunditur cruoris copia, ut in densa strata coagulatus, eam ulceri impertiat formam, quae speciem hepatis bovini, Anglorum nautis Bullocks liver dictam, mentitur. Peculiari insuper haec ulceræ gaudent attributo, quod remediis detergentibus, in reliquis ulcerum immundorum generibus summe proficiunt, insigniter exasperentur, ad minimam pres-

sionem gongraenescant et semper in connubio oedematis partis exulceratae incedant. Si vero sub felicibus rerum adjunctis res eo perveniat, ut optatae cedant consolidationi, id non a peripheria versus centrum, more ulcerum aliorum, verum inverse fieri consuevit, in fundo quippe plures exsurgunt insulae, quae sensim sibi approximantur, ac tandem in unam conveniunt cicatricem.

§. 19.

Graves has vitae organicae aberrationes, summa vi-
rium tam physicarum, quam psychicarum, comitatur resolu-
tio; irritabilitate enim et sensibilitate ad imum prostratis,
aegri summae lassitudinis sensum, plumbeam corporis gravi-
tatem et invincibilem ad motum aduersant segnitiem, interim
tamen tendines quidam subsiliunt, musculi faciei et artuum
convelluntur; unde variae spasmodorum clonicorum species cor-
pus horrende contorquent, cuius deplorabilem sortem super-
veniens adhuc hydrops et icterus adaugent. Quod sensus
externos concernit, hi jam ita obtunduntur ut anaesthesia,
phthongodysphoria, scotomia, caligo et acies oculorum ita
obtusa, ut aegri non nisi plena luce objecta percipere pos-
sint, observentur, jam vero tantum contrahunt erethismum, ut
accidente vel minima potentiae nocentis actione, phlogosis sui
generis exsurget — ophthalmia scorbutica, quae non
modo ipsi oculo, verum saepe saepius etiam integro orga-
nismo gravissimas struit insidias. Sensus communis quoque
diversas offert alienationes, quae quidem cuivis morbo pro-
priae sunt; in scorbuto tamen multo majorem adipiscuntur
malignitatis gradum, ut artuum dedolatio, lassitudo, per-
vigilium, anxietas et gastrodynia tanta, ut merito attonitum
reddat observatorem, quomodo aeger sub tanta hostium copia
vitam continuare possit. Mentis tamen conditio eum in
modum servata viget, ut aeger moesto conqueratur animo,
atrox malorum agmen ad altius adhuc properare culmen.

§. 20.

Stadium tertium, seu morbi consumatū. Praegressis hisce phaenomenis morbosis, quae inconstantī plurimum ordine, numero et vehementia incedunt, atrocissima et foedissima evolvitur morbi imago; praecipiti enim passu processus colliquationis summum culminationis punctum attingere nititur, atque improba virium prostratio omni fere momento inevitabilem minatur vitae extinctionem. Vis enim motricis efficientia ad imum consumta, aegri corpore supino porrecti, positionem captam truncī ad instar immobiles servant, irritos solum exerceentes motuum conatus, quibus molestam anxietatis sensationem sublevare nituntur, cruribus divaricatis deorsum ad pedes delabuntur; manus intremiscente motu ad res capessendas extendunt, ipsamque linguam porrigit nequeunt, quibus rapide increscentibus summa accedit muscularum voluntariorum resolutio; unde paralyses partiales undique conspiciuntur, incontinentia alvi et urinae subsequitur, nec non sudores visciditatem odorem spargentes integrum inundant organismi ambitum, ulcera praetereā undique signa progradientis sphaceli ostendunt, partes vero molles cavum oris, suras et foemorā tegentes ichore consumtæ a compage ossea solvuntur atque apendicū instar propendent. Similem colliquationis metamorphosim interna quoque subeunt viscera, aer per dissidium elementorum jam in ventriculo, jam in tractu intestinali accumulatur, hinc meteorismus increvit, materiae autem ipsae dessidium passae, per os, nares et alvum secedunt foetidissimæ.

§. 21.

Exsuperante hoc partium mollium in expansionem et dissolutionem nisu, reciprocae omnium corporis systematum et organorum reactiones sufferuntur, leges consensus et an-

tagonismi pervertuntur, fontesque omnis reproductionis alienantur, quin imo ipsius etiam compagis osseae cohaesio et elasticitas ita infringuntur, ut cum simili partium mollium statu, ad eosdem conducant effectus; hinc ossa varium in gradum emolliuntur, incurvantur, exulcerantur et consumuntur. Gravissimum autem in hoc stadio portendunt periculum haemorrhagiae effrenes, et earum pedisequae lipothymiae, quae ut extremi resolutionis chemico vitalis termini, formidabiles, horribilis eventus giganteo passu scenam claudere properantis, sistunt praecursores, qui nec diu anxiam morantur exspectationem; vita enim systematis nervosi ad extremum praecipitata, mentis functiones pervertuntur, delirium cum stupore alternat, pulsus inordinate et confuse mi-
 cent, tremuli, myuri, vermiculares et intermittentes evadunt, ita ut aegri tot tantisque malorum portentis dilaniati, nunc in soporem incident profundum nunquam amplius evigilaturi, nunc tetris sub convulsionibus ceu ultimis vitae cum morte collectantis moliminiibus, consumto omni vitae fomite, inexorabili succumbant fato.

Autopsia cadaveris.

§. 22.

Corpora jam sub decursu morbi semilliquata, extincta vitae flamma confestim putredine abripiuntur, ita ut paucis a morte horis ingentem spargant foetorem. Cutis universa echymomatibus et ulceribus sussusa, musculi laxi, adtenuati facile lacerandi; sanguis et reliqui humores ex toto soluti, fibra penitus delecta. Ossa omnia plus minusve emolita, spongiosa, carie erosa et in substantiam carnosam — **Osteosarcosis** — degenerata conspiciuntur, nonnunquam vero tam fragilia, imprimis cylindrica, sternum item et costae evadunt, ut sola cadaverum transpositione rumpantur — **Osteopetrosis** — Periosteum solutum, cartilagine suppura-

tione destructae, exostoses, tophi et aliae ingentes materiae osseae degeneraciones; verbo integra compages ossea adeo devastata et destructa conspicitur, ut neutquam ait Ludovicus Hoffmannus inde extruas skeleton. — Tela cellularis sero turbido abundat, cava aperta gas exhalant foetidissimum, pulmones laxi, atris hinc inde maculis distincti, collapsi aut sanguine congesto expansi, vomicis, ulceribus et pure referti pseudomembranarum ope partibus vicinis adcreti. Cor lividum, gelatina tremula obductum, ventriculi et sinus sanguinis soluto et grumoso infarcti. Similem quoque vasa majora praeserunt conditionem, quibus polypi ingentis interdum molis impacti visuntur. Pericardium et cavum thoracis sero et sanguine extravasato inundantur, quam colluviem adeo acrem esse refert Poupartius, ut manus immersas caustici instar inflammet, corrodat et solvat. Abdomen aere expansum et simili repletum liquore; peritoneum una cum suis propaginibus, et viscera omnia in eo contenta, maculis et ulceribus notata, quod idem de ventriculo et eius tunicis dicendum. Glandulae mesaraicae et hepar infarctum; lien vero ingentem in molem expansus, abscessibus foedis corruptus, vel vero exsiccatus, collapsus et friabilis, retro saccum ventriculi eoecum propendet. Analogam quoque renes, vesica urinaria et ureteres subeunt mutationem, quae tamen quandoque prorsus intacta cernuntur, cerebrum vero de regula integrum.

D i v i s i o.

§. 23.

Primum quod practici jure proponunt scorbuti disserimen inter primarium et secundarium, respicit originis modum, et omnino insignem meretur medentis respectum. **Scorbutus primarius, protopathicus** dicitur ille, qui hominem in integritate constitutum algreditur, vel aliis

etiam supervenit aegritudinibus, quin tamen cum illis in nexo existat causaliter; verum ex dispositione et potentia nocente concurrentibus recens ortum suum dicit. Scorbutus autem secundarius, deuteropathicus est ille, qui ex morbo alio ad certum gradum evecto emergit, sive essentiali cum charactere ejus primitivo, et causa eius producente agnoscat nexus, sive non; in casu priori semper de morbi primitivi ingenio plus minusve participat; unde pro istius diversitate, variae exsurgunt complicacionum species — exemplo illius, qui diuturnam hydrargiri, aut aliorum acrum actionem, vel varias liquationis species, rachitidem, scrophulas, haemorrhagias et febrim putridam insequitur.

§. 14.

Altera non minus momentosa morbi distinctio in scorbutum ex debilitate directa ortum, et eum, qui ex adynamia indirecto modo inducta proficitur, pariter in diversa originis ratione fundatur, prout nempe ex incitamentorum vitalium defectu, vel vero ex nimis violenta et diu protracta stimuloruui actione, omnem virium vigorem exhaustiente procedit.

§. 25.

Tertiam scorbuti differentiam largitur eius acuties et decurrenti ratio, quae eo majorem deposit medici attentio-
nem, quod plerumque a diversa causarum efficientium natura
ac varia inde debilitatis oriundae forma dependens, non solum
prognosim, sed etiam medendi methodum dirigere juvat. Di-
stinguitur autem hoc intuitu scorbutus in acutum et chronicum,
acutum dicimus illum, qui in gratiam summae virium
prostrationis iam primis morbi diebus subortae, ingenti ac
praecipiti stipatur discrimine, ita ut aegros haud raro aliquot
dierum spatio e medio tollat. Scorbutum autem chronicum

nominamus illum, qui cyclum viginti dierum emensus, lentum ingreditur decursum, atque plerumque indirecta asthenia stipatus, variam reddit vegetationis laesae imaginem, de superstibus tamen phaenomenis aegritudinis primitivae, syphiliticae, rachiticae, scrophulosae, scabiosae etc. semper plus minusve participantem.

§. 26.

Quartum scorbuti discrimen in sporadicum, endemicum et epidemicum, praebent eius ad societatem humana rationes, prouti nunc singulis hinc inde hominibus ex rationibus aetiologicalis ad eos tantum restrictis struit insidias; nunc integrum quamdam hominum adgreditur societatem, causam praecipuam agnoscentes in climate, situ, solo, aquis et nutrientis, quae regio suppeditat, aut vitae genere ad quod ex luxuria seducitur, aut paupertate cogitur; nunc denique latius per populum extensus, temporum potius quam locorum vicissitudinibus generatur, intenditur, multiplicatur, mitigatur et extinguitur.

§. 27.

Neque omnis prorsus valoris expers est differentia scorbuti in febrilem et afebrilem. Quamquam quidem scorbutus absque ullis incitationis vitalis phaenomenis decurrere amat: sit tamen non raro, ut aut initium cum ea assumat, aut in ulteriore suo decursu praecipue versus finem proiecto, inconspicuo fere modo illa salutetur, in casu priori communibus febris irritativa, aut peculiaribus cachexiae matricis symptomatis stipatur, in secundo vero semper foedissimam febris putridae induit faciem.

§. 28.

Sunt demum qui adhuc ultro divisionem scorbuti extender volentes distinguunt eum in maritimum et terre-

strem. Ast quamvis omni iure asserere possimus eum longe frequentius et atrocius saevire mari quam continente; nihil tamen minus quo ad indolem prorsus nullam differentiam includunt, uterque enim *isdem* comitatur phaenomenis, eandem petit terminationem, et eadem suffertur therapia; ut igitur distinctionem hanc non e natura morbi progressam, et omni in praxi emolumento destitutam, merito incipient ex therapia excludere auctores.

Varietates.

§. 29.

Feralis haec morbi saevities non semper ad eum, quem praemisimus, evehitur gradum, verum nunc ad systema cutaneum externum, nunc vero ad os et partes eidem vicinas magis restricta totidem praebet morbi generalis varietates. Quarum prior morbus maculosus Werlhofii, peliosis Svediauerii, haemorrhoea petechialis Sprengelii; posterior Stomacaceab auctoribus nuncupatur. Morbus maculosus Werlhofii ingreditur plerumque cum ingenti animi abjectione, lassitudine artuum et motus difficultate insigni, quam insequuntur pulsus exiles, debiles, tardi et parvi, anorexia, dispepsia et agrypnia. Communissimum autem status huius comitem sistunt maculae in diversis cutis regionibus conspicuae, rubrae, ceruleae vel et atrae, absque ullo prruitu et dolore decurrentes, quibus dein accedunt haemorrhagiae e diversis corporis partibus, ingenti virium vitalium longuore stipatae, quae pro varia constitutione aegri et vario morbi ingenio, variam sortiuntur terminationem.

§. 30.

Alteram scorbuti speciem constituit Stomacace, scorbutus aphiosus Hildebrandii, cuius iterum

duae statuuntur ab auctoribus varietates, quarum prima Ulitis septica, in phlogosi gingivarum ad liquationem intenta consistit, quae sensu insignis ardoris, halitu graveolente, salivae profluvio, facili sanguinis atri secessu ac levi glandularum vicinarum tumore stipata, in aphtas sordidas, vel ichorosas degenerat exulcerationes, comite persaepe universali virium incitatione. Altera vero ulcus constituit gangraenosum, quod gingivas, labia et genas tenerorum praesertim infantum depascitur, ac ideo medicis practicis Nomen sen Cheilocace, Cancer aquaticus audit, quem C. Van Sieten nomine gangraenae oris interni classico adumbravit calamo *). Praegressis nempe per octo aut quatuordecim dies morositate, agrypnia, anorexia, siti, diarrhoea et inquietudine summa, enascitur in buccarum parte interiori, gingivis, lingua et labiis rubedo levis, parum dolens, calore insigni per totum cavum oris diffuso, quae paulo post in altum transit tuberculum, ruberrimis ac summe dolentibus marginibus ciuctum. Quod demum profundius exesum in tetram convertitur exulcerationem, que late per cavum oris diffusa, non modo subjecta partium mollium strata depascendo exteriora versus penetrat, verum etiam glandulis lymphaticis et salivalibus in concensum tractis, infra mandibulas proserpens, ipsam linguam et labia pari adoritur ratione. Similatque deplorabiles haec otis desorganisationes contingunt, adeo teter ex ore aegri emanat halitus, ut anfractibus organi olfactus pertinaciter adhaeres, per plures impressus maneat horas, gravissimasque coenaestheseos inducat mutationes; salivae tenuis, acris et calidissimae tam e foedo oris cavo, quam e buccae perforatae fenestra, ingens effunditur copia, dentes vacillant; gingivae solvuntur, et sub minimo adtritu dissolutum plorant cruorem, quibus tandem colliquativa accedunt profluvia, epistaxis, stomatorrhagia, ephidrosis et diarrhoea, sub atrocissimis febris putridae phaenomenis.

*) Comment. in Aphorism. Boerhaavii. §. 431.

D u r a t i o .

§. 31.

Varia esse solet scorbuti duratio, pro diverso epidemiae regnantis, vel morbi primitivi e quo originem traxit ingenio, nunc decimo quarto solvitur die, nunc ad vigesimum, et ultra nisi mali ferocia aegrum enecuerit, protrahi observatur. Rarioribus tantum in casibus, iis duntaxat stipatur phaenomenis, quae liquationis universalis, et summae virium vitium prostrationis indicant conditionem, ex adverso crebris et multis variis conjunctus iuicit symptomatis, praecedenti primitivo morbi characteri propriis, quorum diversitas totidem ponit ejus complicationes, e quibus illa, quae in littoribus Norvegiae cum syphilide occurrit, sub nomine Radesyge, seu Leprae Scandinaviensis praecipuam meretur attentionem.

A e t i o l o g i a .

§. 32.



Quamquam momenta scorbuti causalia sibi adeo continua et propinqua sint, ut justi inter ea limites nequaquam duci possint, quin immo omnia, quae alteri eorum generi tribuuntur, eodem fere jure ad alterum simul referri queant. Omnes enim potentiae a medicis duplice hoc titulo insignitae, tantum quo ad durationem et gradum actionis ab invicem differunt, ita ut brevius et mitius agentes solam relinquant proclivitatem; potentius autem et constantius apertum invitent morbum; nihilque tamen minus nobis naturae scorbuti rite explicandae intentis, distincta horum momentorum illustratio, tantam policetur utilitatem, ut utramque causarum classem, non possimus non sejungere, ac seorsim pertractare.

Causae proëgumenae.

§. 33.

Omnia quae processus vegetationis robur infringunt, et ad effectum potentiae nocentis facilius excipiendum praepa-

rant, ut momenta scorbuti proëgumena considerari possunt. Dispositionem ideo maiorem in eum fovent, subiecta omnis aetatis et sexus debilia, morbis diuturnis detrita, requisito nutrimento destituta, animi passionibus agitata et paupertatis onere oppressa. Universalem autem in scorbutum dispositionem quandoque induci videmus, ab aëris peculiari depravatione, nec non a quibusdam evolutionibus cosmicis, nobis adhuc sufficienter non cognitis, constitutionem stationariam ita modificantibus, ut cuncti vegetationis morbi, sive sporadicorum, sive epidemicorum more grassentur, in scorbutum abeant et degenerent.

S. 34.

Atque primo quod concernit aetatem, nullam fere peculiari praerogativa, ab hocce cacoëthe malo novimus immunem. Senes quidem ad mentem Friderici Hoffmanni magis ei subjacent, cum morbi senibus familiares, multum cum scorbuto convenientiae alant, ideo quod ex impura, et viscidâ sanguinis et aliorum humorum crasi, suam repetant originem; verum enim vero sententia haec, ex illo adhuc profecta aevo, quo dominans medicinae humoralis genius, omnibus vegetationis morbis, scorbutum plus minusve subesse existimavit, cum clarioribus recentiorum notionibus comparata, nequaquam subsistere potest, ut quae fideli sub epidemias experientiae innixae, eum nulli aetati specialius favere ostendunt. Nec observatio Trotteri, qua inter aethiopes captivos gravissimo hocce morbo affectos, puerorum paucos tantum ei succubuisse testatur, nostram evertere valet opinionem, cum eum e causa pueris minus infensa provenisse constet. Interim tamen certas scorbuti formas, certis respondere vitae periodis, non negamus; sic dum gangraena et ulcera pedum scorbutica senes graviter affligunt, stomacace et cheilocace infantes per eminentiam infestant, ita ut Girtanner et alii, ea huic aeti propria contendant esse mala.

§. 35.

Nec sexus peculiare involvit discrīmen. Quamquam quidem antiquiorum nonnulli, ut Senertus, Charletonius et Hoffmannus foeminas majorem, quam viros offere dispositionem opinentur, idemque etiam in epidemia inter plebem italam sub annonae charitate 1761 grassante testetūr J. A. Bona; nihilo tamen minus non pauci ex adverso docent auctores, viros crebrius, quam foeminas ab eodem corripi malo, et quidem potissimum ea ex causa, quod inter cunctas potentias scorbuto generando idoneas, deprimentes animi adfectus supremum occupare locum existiment, iisque vehementius pectus prosterni virile, quam levem foeminae mentem arbitrentur. Inde tanien de praevalente sexus dispositione, nequaquam omnem litem absolutam esse censemus, quam ulterior solum adtentio, et solers sub epidemiis instituta experientia, componere valebit, caeterum ii, qui foeminis majorem tribuunt immunitatem, meminisse velint, eas longe rarius, quam viros, momentis scorbutum excitantibus esse obnoxias.

§. 36.

Majorem profecto in scorbuto generando potestatem tenere videtur habitus organismi et ejus temperamentum. Et enim per experientiam confirmatum habemus debiles, laxos, cachecticos, prae robustis, torrosis, siccis, macilentis fibra stricta donatis, in liquationem processus vegetationis magis inclinare. Sic etiam phlegmatici, melancholici, mente et corpore imbecilles, fatui, inculti, timidi, tristes etc. facilius in scorbutum incident, quam sanguineo-cholerici, corpore et inge-
nio vivaces, agiles et impavidi. Ex his igitur levi negotio intelligitur, cur scorbutus quem Fodere non inique servilem adpellavit, altis septentrionis populis dira servitute pressis magis sit infensus, quam liberis Europae meridionalis gentibus. Cur idem liberrimos quidem, verum atrabiliars et

melancholicos divexat Britannos, Gallis e contra hilaribus et animo erectis pene ignotus.

§. 37.

Quum vero miseranda eiusmodi corporis conditio, a parentibus ad proles, eo quo generantur temporis momento, transferri, aut iis in sinu adhuc materno degentibus communicari, aut ex hoc immunibus egressis ex iniqua vitae conditione adhaerere possit; patet dispositionem in scorbutum non minus haereditariam, quam congenitam et acquisitam dari, quam dispositionem diathesim scorbuticam nuncupamus, quae primum quasi et minimum sistit morbi gradum, seu illam potius organismi conditionem, quae prima labis scorbuticae germina, latentia quasi et sepulta, in sinu suo fovet et recondit, quorum evolutionem regimine quidem diacticō prudenti retardari, quin imo ipsa etiam germina non raro deleri, experientia compertum habemus, ast acedente vel minima potentiae nocentis actione, ultro evoluntur, persiciuntur ac tandem in apertum erumpunt morbum. Verum dum haec ita proferimus in eam recentiorum nonnullorum incidimus sententiam, qua contagia haereditaria solidorum interventu nusquam transvehi praecipiunt, omnemque humoribus in generandis morbis abrogant dignitatem. Interim nos, quin absolute contagioso vehiculo ad scorbutum haereditarium demonstrandum egeamus, scepticos ad illud tantum reflectimus, scorbutum iis ipsis legibus, quibus omnis alia diathesis morbosa haereditario modo disseminatur propagari, idque eo magis, quum ut infra evincetur, scorbutum quibusdam familiis adeo proprium et familiarem esse, ut omnibus strenuo examine perpensis, ex unico tantum haereditatis fonte intelligi et explicari possit. Sic singularem quorundam infantum proclivitatem, etiam sub optimo vitae regimine, et summa corporis munditie, in aphthas oris exulcerationes, illico post partum conspicuas, non aliter expli-

cabis, nisi parentum culpam, eadem evolutionis periodo analogis malis detentorum, damnabis; demum ipsa in quibusdam regionibus eius frequentia, ex locorum constitutione, aut alio quodam influxu lateralí nequaquam explicanda, ad hanc simul nos invitat opinionem; ut igitur omnibus his rite perpensis, extra omnem dubitationis aleam positum sit, scorbutum dari haereditarium, illumque in vitiosa viscerum et organorum muneri hematopoëeos dicatorum, constitutione radicari.

Causae procatarcticae.

§. 38.

Inter causas scorbuti occasioнаles, generatim referendaе veniunt omnes illae potentiae nocentes, quae nisum in liquationem promovent. Harum aliae directe in processum vegetationis influendo chemicas compagis organicæ relationes ita alterant, ut harmonicus virium concentus integer persistere nequeat. Aliae eundem effectum indirecto praestant modo; nimirum per iusto vehementiorem incitamentorum cuiusvis generis actionem, vires reactionis sensim labefactando, ac tandem penitus exhaustiendo et extinquentendo.

§. 39.

Quatenus autem morbosa, quae scorbuti essentiam constituit conditio, liquatio nimirum in sepsim inclinans, vitae e diametro opponitur; eatenus etiam detractio stimulorum vitalium, atque concursus potentiarum nocentium processui vitali infensarum, principales largiuntur liquationis scorbuticae fontes. Eminentem autem plerarumque causarum nocentium agendi modum, chemicis obtemperare principiis, jam sola conditionis pathologicae consideratio satis superque testatur, quae chemismum, ut aiunt animalem, a recto integritatis tramite deflectentem indicat et supponit.


§. 40.

Potentiis nocentibus, quae directo modo processum vegetationis alterant, adnumeramus 1. aërem atmosphaericum; 2. alimenta ot potulenta; 3. substantias quasdam salinas; 4. morbos diversos; 5. morborum perversam medelam; 6. denique sui generis contagium.

§. 41.


Aërem atmosphaericum, commune illud omnium entium organicorum pabulum, vario modo vitale organismi robur pessimum dare, ac haematopoëeos munus offendere, communis est omnium medicorum querela, ubi vel nimio frigore, aut calore exuberat, vel elementis saluti amicis destituitur, vel deleteriis plane contaminatur.

§. 42.



Et quidem aëris frigidus ab omnis aevi medicis, pro sola, aut saltem praecipua, criminabatur scorbuti causa, ita ut regiam cacoëthis huius mali selem, post Senertum, plurimi in septemtrionem, speciatim ad littora maris Baltici et Glacialis reposuerint, et inde eum ea ratione, qua Iuem syphiliticam, ex America in Europam cultam translatum esse crediderint. Non negamus quidem magnam esse frigoris in scorbuto generando potestatem, quin imo ipsi libenter in exemplum adducimus, septemtrionalis Germaniae provincias, fertilissimas hujus mali matres; Russorum item exercitum ad obsidionem Azophii eoeli injuriis per plures dies absque inducili vexatum, scorbuto fere ex integro affectum, nec non Gallorum copias, inter alpes glaciales hybernis constitutas, ferociam eius graviter expertas: attamen ideo concedere non possumus, frigus solam ac potissimum ubivis locorum scorbuti sistere causam, cum illo praesente non semper, absente vero saepe saepius eum hinc inde grassari experientia testetur. In cuius fidem sufficiat ad tulisse C. Historiae naturalis

professorem Dublinensem Giesecka, qui post exactam in re-regionibus septentrionalibus septem annorum moram, redux perhibet, incolas harum regionum in tuguriis angustis, phocarum exuviis quo adusque licet munitis et obturatis, gregatim hybernare, omne que suum tempus inertes et alto sopore sepultos transigere, quin ullam experiantur scorbuti ferociam. E contra vero eum in calidissimis aequinoctialibus oris, omni anni tempore, terra marique debacchari, historica perhibent documenta, sic docente Joinville ad antiquissimas scorbuti epidemias pertinet illa exercitus sancti Ludovici, dum saeculo 13 contra Saracenos aegypto inferiori bellum gerebat; sic etiam in calidissimo soli nostri climate 1803 intra breve temporis intervallum, aliquot millia hominum enecavit. E quibus intelligitur nullam temperiem eum penitus excludere; nullum clima eodem prorsus carere; ac proinde non in solo frigore, tant calore, verum in aliis atmosphaerae proprietatibus causam eius quaeri debere.



§. 43.

Quo praecipue aërem calido-humidum referunt auctores, et reapse, si exemplorum adductorum memores, in aetiologicalas scorbuti inquiramus rationes, semper aërem humidum altissimum tenuisse locum inveniemus. Etenim scorbutum potissimum in regionibus oceano propinquis, depressis, uliginosis et paludosis, ubi lacuum copiosorum et aquarum stagnantium vapores, continuo aëri atmosphaericō traduntur, occurrere experientia edocemur. Ast quanvis aér humidus foecundam sistat scorbuti matricem: illum tamen secundum mentem clarissimi Lindii, unicum constituere ejus fontem confirmare non valemus, quoniam exerto quandoque malo, praeter aërem humidum, alias simul contribuisse potentias, abunde novimus.

§. 44.

Maximam efficaciam in producendo scorbuto includit

mixtio atmosphaerae cum in modum alterata, ut deficiens oxygenium, normalem eius elementorum sufferat rationem. Omnes igitur mephitum species, quas paludes, cementa, sentinae, loca uliginosa et saepius inundata, *) aquae stagnantes, fossae, latrinac reseratae, vapores cannabis in aquis pigris maceratae, carnificinae, loca, in quibus bestiae matantur, aut strages eduntur, cadavera insepulta reicta, exhalationes plurium animalium, vel hominum, tam sanorum, quam aegrorum, in spatio angusto coacervatorum; igitur atmosphaera stabulorum, urbium obsessarum, carcereum subterraneorum, ergastulorum, navium, nosocomiorum, orphano et brephotrophorum, et in genere omnia illa adjuncta, quibus praesentibus oxygenium aequo magis detrahitur, hydrogenium vero carboninm et azotum nimiopere excluduntur, scorbutum progenerare valent **). Ex his igitur fontibus explicatur uberior scorbuti ad oras maritimas exortus, in locis depresso, in nosocomiis male gubernatis, in carcerebus tenebricosis, urbibus sessisis, hybernaculis militum angustis et pauperum tuguriis, ubi aer corruptus recenti spiritu recreari nequit, in angiportibus urbium vastarum et populosarum; in iis denique regionibus, in quarum vicinia plurimae in proelio diro peremptorum victimae jacent sepultae, urgente praesertim insolito aestatis fervore; unde originem ducunt nomina, scorbutus nosocomialis, carcarius, navalis etc.

§. 45.

Alterum praeter malesicas aeris qualitates, liuationis scorbuticae fontem, larguntur alimenta et potulenta, aut copia, qua adhibentur, aut indole, qua gaudent, corporis

*) Lancisius, de noxiis paludum effluviis Calon. 1718.

**) Drajer, de noxiis corporum putridorum effluviis. Rosi, 1832.

humani necessitatibus et naturae minus convenientibus. Parcius enim nutrimentorum usus organa digerentia et adsimilantia minus incitat et exerceat, hinc diutius continuatus imbecillitatem et teneritudinem eorum relinquit; sanguinis penuriam inducit, secretionem et nutritionem pervertit, ac tandem debilitatem universalem inducendo integrum organismum superanti tradit resolutionis potestati. Ita 1771 et 1772 Neapoli ingentem inter pauperem plebem, quae ad gravem famam sedandam, meris legumiinibus, arborum et fruticum radicibus vesci cogebarunt, edidit stragam.

§. 46.


Ast nec abundantia alimentorum omnem excludit scorbuti timorem, ubi aut in uno genere consistunt, aut rebus nocivis admixta adhibentur, quo praeципue spectat defectus vegetabilium et excessivus usus animalium. Homines enim ad solum victum animalem restricti, altiorum quidem materierum plasticarum consequuntur gradum, et universae vitae vim ostendunt alacriorem: attamen cum quae metamorphosim progredientem citius emensa sunt, citius etiam in resolutionem contraliunt risum, et quidem eo certius et citius securoram, quo idmodi alimenta in putredinem jam abrepta, ipsi ventriculo putredinis fomitem inferunt; hinc haud mira videbitur scorbuti frequentia ad littora maris septentrionalis, in urbibus obsessis, castris et navibus, ubi homines vegetabilium inopia pressi, potissimum victu utuntur animali. Ast quamvis vegetabilia evolutioni scorbuti renituntur: fit tamen non raro, ut eum potius invitent, dum aut principio nutriente egena, aut in corruptionem abrepta, aut male adservata, aut venenis aliisque rebus noxiis copulata in usum trahuntur. Sic qui ad sola olera restrinquentur pauperes, nutrimentum inde admodum parcum extrahentes, diversis organorum digestionis et chylificationis injuriis obnoxii, mox languorem corporis contrahunt univer-

salem, qui vero cibis farinaceis, ex farina corrupta, aut calcaria, potassa, lolio temulento et secali cornuto inquinata, paratis vescuntur, vim eorum infestam directe contrahere solent.

§. 47.

Non minorem dignitatem inter potentias scorbuto provocando intentas sibi vindicant potulenta, dum corpori humano vivo fluidum praebent a materiis, quas solutas continet, alienis dotes noxias adeptum, sic aqua stagnans, acido carbonico privata, plantarum et corporum animalium particulis impregnata, sive mera hausta, sive in connubio cum aliis liquidis adhibita, nautis prae caeteris infensa esse consuevit.

§. 48.

Alimentis et potulentis proximum occupant locum substantiae quaedam salinae, aequo tamen gravius secundum Lidium, Milmanum et Fodere inculpatae. Sic C. Lindius abusu salis marini nec scorbuto affectos in integrum restitutos, nec in discrimina graviora fuisse conjectos observavit; quin imo aquam marinam aliis remediis nuptam, cum fructu se adhibuisse testatur. Milmannus sali eminentem tribuit virtutem antiscorbuticam. Fodere vero diversas carnis species sale conditas, et justa quantitate in usum tractas, in regionibus humidis, depressis et paludosis, insigne fuisse prophylacticum vidit. Nec quidquam detrahit castae horum virorum observationi illa nonnullorum objectio, qua ferocia scorbuti mari longe frequentior et gravior quam continentis, aquae et atmosphaerae marinae diversis salibus impregnatae imputatur, ut cui illa C. Sprengelii et aliorum renititur opinio, qua non sales, verum victus maritimus adcusatur, demum si sal solus scorbutum progenerare valeret, sequeatur eum in fodinis salinis, quales in patria nostra occur-

runt amplissimae, endemicum esse debere, cui tamen experientia contrarium evincit.

§. 49.

Omnibus tamen potentissimis scorbuto induceudo idoneis, facile palmam praeripiunt aegritudines diversae, speciatim autem illae, quae sanguificationis et reproductionis vigorem infringunt, secretionis et absorptionis munus quacunque demum ratione pervertunt, atque amplum cachexiarum ordinem efficiunt. Huc febres diversi characteris, imprimis autem intermittentes lentae et infarctibus lienis copulatae. Ita Kramerus refert in exercitu caesareo illos imprimis scorbuto subjectos fuisse, quibus corpus diversis febribus, et frequentibus earum recidivis emaciatum erat, ita etiam Paulus Aeginetta scirrho lienis scorbutum constanti lege supervenisse testatur. Ex omnibus autem morbis, facillime in scorbutum degenerare solet lues syphilitica, quin imo sunt nonnulli, ut Selle, Luis et Dolaeus qui scorbutum syphilidis solum progeniem esse contendunt, mercuriumque potentissimum antiscorbuticum praedicant. Minime negamus luem syphiliticam cum scorbuto arctum posse inire connubium, quin etiam sub longiore decursu, et incongrua medendi ratione, diathesim scorbuticam, imo et persimilem scorbuto gignere formam; inde tamen omnem scorbutum syphilidis prolem esse quis adfirmabit? ut quae e distincto scaturiens fonte, distinctam involvit naturam, ita uthius specificum illius sistat venenum.

§. 50.

Non solum diversi morbi, verum etiam medicamenta intempestive aut perverse in auxilium vocata, in potentias scorbutum excitare valentes convertuntur, easque eo efficaciores, quo major illorum in certo morborum genere fuerit virtus medicata. Quo in genere medicamenta vitam plasticam eminenter adficiantia, iusto audacius et diutius in usum vocata, referri

merentur, inter quae principem locum tenent praeparata mercurii, ut quae humores corporis humani plasticitate exuendo, materierum organicarum perfectionem retinent, resolutionem promovent, ac tandem universum organismum ita disponunt, ut singularem cachexiae nostrae induat imaginem.

§. 51.

Praeter momenta hucusque adducta, non pauca offendimus, quae vitae sensiferae eminenter infensa, partim ob multiplex eius cum vita organica commercium, partim ob peculiarem motus nervosi indolem, vitam plasticam vario modo pessundant, retinent atque quo ad qualitatem aliam atque aliam reddunt. Huc 1. Omnia imponderabilia, uti calor electricitas, effluvia odorifera, etc. 2. Principia phlogistica, hydrogenium, carbonium, azotum, gas sulfurosum et quae ex eorum connubio generantur mephites, sive circumfluas inquinent auras, sive in penetralibus organismi per varias corruptionis spontaneae species extracentur. 3. Animi pathemata deprimentia, quibus vita sensifera exhauditur, suaque voluntati in musculos potestas denegatur, efficientia vero nervorum prostrata, systema vasorum in cunctis functionibus suis imbecillitatem et languorem contrahit: cor infirmam in sanguinem exercet actionem, haematopoësis languide procedit, se et excretiones retardantur; verbo universa reproductio et restauratio cohidentur; unde diversae vitae organicae alienationes necessario in conspectum provenire debent. Quare omnes Auctores tristitiam, taedium, anxietatem, inquietudinem atrasque omnis generis curas, inter gravissimas scorbuti causas reponere legimus. Ita Eugalenus eos, quos cum victu crassiori diutinus exercuerit moeror, constanti lege scorbuticos futuros praecinere ausus est, ita Dodonaeus Willisius nonnullos timore percuslos extemplo in scorbutum incidisse vidit, ita etiam eximius ille Anzonii itineris historiographus Valtherus refert, inter nautas spe optatam revisendi patriam lapsos, con-

festim peius habuisse scorbuticos, pluresque iam extra teli-
iectum positos, in graviora mox relapsos discrimina lethali
succubuisse fato. 4. Omnia ea, quae nimis vehementes et diu
protractas suscitant virium intentiones, in statum consumptio-
nis facile conjiciendas, uti mœlitatio irrequieta, vigiliae pro-
tractae et immodica corporis exercitia, cuius rei a medicis
navalibus plura habemus documenta. Ex hoc fonte Milmanus
ferocis illius morbi Anzonii navim vastantis originem deducit,
et quidem eo magis, quod plurimae hoc in casu, quas alias in-
culpare solemus, defuerint potentiae nocentes; sub miti enim
Mexici coelo, aqua et alimentis satis superque praesentibus,
tamen morbus graveia excitavit cladem. Ita Nitzs in exer-
citu Russorum contra Turcas emissso, scorbutum saevientem
classicò notavit calamo, cuius causam præcipue ab itinere
sub variis coeli terraeque injuriis præcipitanter acto derivat.
Quemadmodum autem nimia virium intentio: ita etiam negle-
ctus corporis motus ampliā præbet cachexiae nostræ matri-
cem; intermisso enim motu musculari, efficacissimus systemati
vasorum stimulus subtrahitur, quare omnes quibus hoc præ-
est, aut in quas influit functiones: respiratio, sanguinis in cir-
culum actio, digestio, assimilatio, sanguinis ulterior elaboratio
et caloris exclusio languebunt. Quae mala eo magis augen-
tur, quod homines tales plerumque in domicilio clauso degen-
tes, eundem semper spiritu exhalatum, et aliis modis corru-
ptum respirare cogantur aërem; hinc otiosis, pigris, incar-
ceratis, obsidione cinctis etc. scorbutus admodum familiaris.

§. 52.

Tantæ demum potentiarum nocentium catervæ minime
adquiescentes auctores, proprium adhuc et sui generis statu-
unt contagium, et quidem iam veteres uno fere sensu scorbu-
tum contagio propagari defenderunt, quibus e recentioribus
præcipue Trotterus et Fodere adstipulantur, Lindius vero
Milmanus et Haaseius contagiosum ejusmodi fomitem penitus

excludunt, et omnem scorbutum in causas endemicas et epidemicas conjiciunt, siquidem omnes ab his salvi ab illo quoque incolumes servantur; re tamen penitus considerata, e praemissis intelligimus inquinamenta septica in verum posse degenerare contagium, quod tamen nunquam perfectorum contagiorum dotes agnoscit, ac ideo tantum semicontagiis adnumerandum.

Natura.

§. 53.

Tot tantaeque fuere circa naturam scorbuti medicorum opiniones, ut si illis speciatim recensendis incumberem, vix non omnia medicinae systemata perstringere deberem, quare ut omnes uno quasi intuity perlustrari perspicue possint, praecipuos tantum e quibus deductae sunt, in angustiores limites contractos, exhibeo fontes. Si omnes, quot quot sunt de indole scorbuti opiniones, ad primam suam originem reducamus, ad unum omnes duplici ratione oriri, et ex duplice hac origine, duplicem illarum reperiemus naturam. Omnes enim medici, in explicanda nosogenia scorbuti, ultimo in duas descendunt classes, prouti nempe eum, aut in indole humorum vitiata, aut in abnormi partium solidarum conditione fundari arbitrantur. Ad classem priorem fere omnes ante actorum aevorum auctores, nec non nostri saeculi chemiatri adnumerari merentur, qui nulla plane vitae viriumque habita ratione, primigeniam humorum corruptionem; putridam nimirum, acidam, alcalinam et muriaticam scorbuto subesse putant, omnesque solidorum a norma aberrationes eius solum effectum et fructum referre existimant. Ac proinde potentias nocentes eatenus saltem operari defendunt; quatenus hanc acrimoniam extrinsecus humoribus ferant. Qua ratione mephites, alimenta corrupta, contagium etc. vini suam infestam directe sanguini imprimunt. Posteriorem vero classem constituunt recentiorum non-

nulli solidares, neuropathologi, theoriae incitabilitatis et pathologiae dynamicae sub variis titulis exstructae sectatores, qui primo vitae et virium fonti sanguini omnem denegantes vitam, fibrae solum irritabili, nervis et viribus organicis tam secundam, quam adversam valetudinis tribuunt rationem, secundum hos proinde scorbutus, consistit in atonia et laxitate solidorum, humoribus et sanguine integerimis, et potentiae nocivae eatenus solum sanitatem pervertunt; quatenus fibram irritabilem enervando, et sensibilitatem nervorum deprimendo, vires vitales infringunt et debilitatem induunt.

§. 54.

Evidem minime negamus, multum utriusque systemati inesse veri, probe scientes, cum qualibet humorum affectione solidorum alienationem conjunctam necessario incedere, et vice versa; ut igitur de propriis et separatis humorum et solidorum morbis sermo esse nequeat, et quae hinc inde occurront solidorum a norma aberrationes, ad humorum sive effectus, sive causas esse referendas; nihil tamen minus omnem morborum originem secundum haec principia esse repetendam, nequaquam adnuere possumus, ut quae communi illo laborant vitio, quod nunc mere materialem, nunc dynamicum ad principii dignitatem extollentes factorem, effectus cum causis hinc inde promiscue commutent et confundant.

§. 55.

Quare recentiores medici in exstruenda vitae tam sanae quam morbosae theoria, utrumque considerant vitae factorem, illosque non in abstracto, verum in concreto, proti nimurum in corpore humano vigent, assumunt. Unde necessario sequitur, turbato factore dynamico, materialem quoque sub omni respectu turbari debere, et vice versa. Quibus principiis nos quoque innixi, obiecto nostro ultro evolvendo, totis nunc incumbemus viribus, quod ut eo facilius nobis succedat, prius determini-

nandum erit, quod nam est scorbuti subjectum? s. quaenam est primaria et eminens illius sedes?

§. 56.

Omnis potentiae diathesi scorbuticae producendae pares, ejus sunt indolis, ut processum vitalem et speciatim efficien-tiam plasticam, sive directo, sive indirecto modo subvertant, atque contrarias prototypo organico inducant mutationes: prae-dominium quippe virium expansivarum et elementorum phlo-gisticorum, quae praetextum unionis organicae gradum adtingere nequeuntia, legibus potius processus dynamico-chemici naturae externae, quam speciali efficientiae vitalis nutui obe-diunt et respondent. Primi igitur dyscrasiae scorbuticae ef-fectus in iis organismi partibus accidentant oportet, quarum concentu normalis processus plastici conditio efficitur et con-servatur, iam vero humores, et speciatim sanguinem omnem productionis organicae fontem esse quilibet medicorum profi-tetur; igitur hunc ante omnia similis metamorphos eos parti-cipem fieri, eiusque indicia per eminentiam exhibere debere, sua quasi consequitur sponte.

§. 57.

Astrationali huic argumentationi illa nonnullorum adver-satur opinio, qua fluida absque solidis, et haec absque illis, nunquam existere posse defendunt; potentias proinde omnes quoconque agant modo, tam in solida, quam in fluida impingere debere, ita ut nec mera fluida, nec solida, verum utra-que simul earum effectum experiri cogantur: attamen nihil obstat, quominus earundem potentiarum impetus eminentius in alterutrum dirigatur factorem, et fluida praे solidis adgredia-tur. Palmaria enim incitamentorum vitalium atria ventricu-lus, pulmones et superficies cutis externea, ita constituta sunt, ut traditos sibi stimulos, ac proinde etiam somites morbosos, et facilius et via magis directa impertiant humoribus, quam

solidis, ita sane potentias materiales: aërem vitiosum, alimenta et potulenta corrupta, medicamenta, venena, contagia etc. quacunque via organismo tradantur, necessario quam maxime in fluida ferri, haecque primario permutare nemini non liquet.

§. 58.

Eminentem igitur in scorbuto locum tenere abnormem sanguinis conditionem extra omnem dubitationem positum est, verum enim vero abnormis hacc sanguinis conditio, non solum a propria eius vita, motu scilicet interno, miscela, viribusque chemicis et hydraulicis, verum etiam ab organorum illum vehentium structura et constitutione dependet, ita ut his male affectis, illum quoque male adsici oporteat, cuius rei manifestum exemplum præbet nobis dispositio in scorbutum haereditario modo propagata, ubi non minus vasa, pulmones, lien et hepar eulpam gerere videntur, quam ipsius sanguinis vita, et peccans eius primigena miscela, ita ut arduum certe ac difficile sit discernere, in quo proprio delitescat scorbuti seminium. Nihilominus si secundum immortalem Professorem Vindobonensem P. C. Hartmann perpendamus, „Solida viva e sanguine non solum materiam nutrientem haurire atque restituere, sed omnia potius principia; ut igitur sanguis non nutritionis modo materialis, sed verus potius ipsius vitae fons dicendus sit“ primitivum scorbuti substratum sanguinem constituere non possumus non profiteri. Sanguis insuper ex fluida sua indole secundum leges physicas, longe facilius quamcunque mutationem admittit, quam solida constantiori compage donata, demum tot homines in scorbutum disponi novimus ab omni solidorum labe immunes, tot item alios his pessime constitutis, ab eodem tam endemico, quam epidemico servari incolumes; ut igitur omnibus his rite perpensis sanguinem primariam scorbuto præbere sedem, asserere non vereamur.

§. 59.

Verum hoc statuendo illam quorumdam recentiorum auctorum offendimus sententiam, qua putridam sanguinis dyscrasiam negant, iis innixi argumentis, quod vita et putredo, tamquam duo processus chemico-dynamici sibi e. diametro oppositi, coexistere nequeant. Vita enim materias organicas construit, putredo vero destruit. Concedimus quidem veram sanguinis putredinem vigente in illo et systemate vasorum vita, locum habere non posse; nihil tamen obstat, quo minus sanguis normalem suam amittat erasim, atque majori principiorum phlogisticorum imbuatur copia, quae ob energiam contractivam labefactatam, debitum perfectionis, evolutionis et cohaesione organicae culmen attingere nequeunt, atque ideo laxius inter se unita favente principii expansivi dominio, facillime in elementares secedunt formas, hocce iam rudimentum liquationis in sanguinae dyscrasiam putridam nuncupamus; *) ut igitur et ex hac parte opinio nostra defensa existat.

§. 60.

Posito itaque fluida et speciatim sanguinem in scorbuto primario et eminenti modo esse affectum, ultro quaestio se se offert, in quonam haec affectio sanguinis constitit, seu quae est indoles scorbuti vera?

Ad gravissimam sane hanc quaestionem solvendam, prius in ipsum haematopoëeos opus inquiramus oportet, quod haematopoëeos munus concernit, omnes recentiores physiologi consentiunt ultimam illam quam sanguis animalis consequi debet perfectionem, a sufficiente principio vitalis (oxygenii) quantitate, et debita ejus ad inflammabile. (hydrogenium, carbonium et azotum) ratione pendere; integrum igitur haematopoëeos opus in eo potissimum versari, ut oxygenium in varios usus conversum, per intussusceptionem et assimilationem perpetuo sanguini

*) Hartmann, Theorie der Krankheit. Wien, 1823. §. 179.

suppeditetur, exuberans vero in eo inflammabile eliminetur, sicque aequa inter sanguinis elementa proportio continuo conservetur. Fontes praecipui, unde sanguis consumtum restituat oxygenium, sunt aër atmosphaericus, alimenta et potulenta, atria vero quibus illud organismo sufficiat, sunt pulmones, ventriculus et superficies cutis externa. Unde patet ad haematopoësim debite sustinendam, et sanguinis elaborationem juste perficiendam, non modo sufficiens requiri principium vitale, verum etiam ipsa organa, quibus excipitur, vicitur, depuratur et perficitur, rite constituta esse debere. Si jam nunc alteruter horum factorum cītra normam dominetur, integrum haematopoëeos opus a norma deflectet, sanguinemque jam oxygenio gravem, jam vero egenum producendo organismum in varios agit morbos, eodem charactere dynamico, incitationis quippe excessu, aut defectu insignes. His praemissis clara redditur scorbuti natura, omnes enim potentiae scorbuto progenerando idoneae, uti in aetiologya dictum est, ejus sunt indolis, ut vel organa oxydationi sanguinis dicta suis officiis inepta reddendo, vel ipsius sanguinis ad oxygenium adsinitatem imminuendo, hujus accessum inhibendo, vel illud ipsi subtrahendo, vel denique principia heterogēnea in illo accumulata retinendo, aut ea magis quam par est, extrinsecus ferendo principium vitale consumant, inflammabilis vero exclusione adjuvent, sicque energiam illius contractivam ita infringant, ut nisus in cohaesionem extinguatur, in secessum vero et dissolutionem promoveatur, nostraque cachexia progeneretur. Ex hac causa pigros, pingues et melancholicos, quibus pulmōnes, hepar, lien, aliave viscera aut haereditaria, aut adquisita labe laborant, statuimus in scorbutum proclives. Eiusmodi enim individua etsi optimo vitae regimine fruantur, etsi aëre oxygenio gravissimo vescantur: tamen illud nec in proprios usus vertere, nec sanguinem a peregrinis liberare valentes, necessario ferociam morbi atrocis experiri dehent.

§. 61.

Simili ratione reliquae quoque agunt scorbuti causae, tam dynamicae, quam materiales. Tristitia, timor, amor, ira, odium etc. respirationem et circulationem retardando, aut accelerando oxydationem cohibent, et sanguinem in secessum partium elementarium disponunt. Ita etiam morbi diversi, febres tertianae et quartanae, infarctus viscerum abdominalium, tubercula pulmonum et vomicae, organa sanguinem depurantia muneri suo inepta reddendo scorbutum absque mora invitant. Medicamenta vero salina sive adhibita, narcotica, venena et contagia vitam celerrime in sanguine extinguedo et eum legibus chemicis tradendo eminentissimam scorbuti causam fovent et recondunt.

§. 62.

His igitur ducti rationibus, naturam scorbuti reponimus in haematopoei cum in modum vitiata, ut sanguis inde emergens principio vitali egenus inflammabili abundet, quo vis illius contractiva ita infringitur, ut nirus in coagulum et cohesionem deficiat, in liquationem vero et dissolutionem exsuperet. Posita hac scorbuti natura, symptomatum origo et nexus optime explicari potest. Nam vero sanguis debita elementorum proportione destitutus primos abnormis hujus chemismi effectus, in vita propria, motu scilicet interno et specifica vegetatione non potest non experiri, quae mutationes tam subtile sunt, ut tantum ratione concipi, nequaquam vero arte chemica sisti possint; vanum proinde est illorum experimentum, qui a principio morbi, ad plenariam extinctionem usque intactum sanguinem demonstrare conantur. Labentem hanc sanguinis vitam mox quoque solidorum participant vires; sensibilitas et irritabilitas adeo labefactantur, ut omnes, quibus praesunt functiones pervertantur; unde insolita animi dejectio, laboris fuga,

taedium, aegra muscularum mobilitas, cito defatigatio, quies praedilecta et somni desiderium, qua eminentissima primi stadii phaenomena absque negotio intelliguntur.

§. 63.

Quo vero diuturnior et potentior fuerit causarum actio, quo magis elementum vitale subducitur crux et ex adverso inflammabile in eo accumulatur, eo magis eius languescit vita et praevalenti cedit liquationi, eo magis morbus per territorium protenditur solidorum haecque analogas incitatione et vegetatione cogit subire mutationes. Ex incongrua enim hac elementorum phlogisticorum dispositione et solidorum atonia, omnes conditiones, quae debitas virium rectiones, ac normalem incitationis vigorem sustinere valent sufferuntur, quare sanguis in secessum particularem vergens magis adtenuatur, panditur, ipsaque vasa ita extendit, ut in capillaria etiam augeatur, inque ipsum parenchima organorum effundatur, unde rubores, petechiae, echymoses, inflammations et haemorrhogiae exoriuntur, cutis vero siccas, alvi obstructio, urinae inopia se et excretionum languor inducuntur. Ob eandem sanguinis pansi indolem, atque uberiorum principiorum phlogisticorum evolutionem, sistema quoque nervosum ad abnormes exstimulatur motus; unde dolores varii nervos periphericos lacescentes, arthritici, rheumatici et pleuritici excruciant aegros.

§. 64.

Morbo denum ad altissimum gradum evecto, miscelatum humorum quam solidorum imperio vitae jam jam erepta, processui dynamico-organico ultro sustentando impar, virium chemicarum dominio, per totum alioquin morbi decursum insigni, totam se tradere incipit, quibus operantibus, non solum vires organicae vitae automaticae, sed etiam altioris ordinis, functiones nervosae muscularum utpote volun-

tiorum et sensorii commuuis praecipi passu prosternuntur. Irritabilitas e contra et sensibilitas si quae adhuc superest, in gratiam stimuli abnormis, qualem liquationis septicae producta suppeditant, continuo lacessita, justo vividores, ut ut naturalibus minores ponit reactiones; unde symptoma febris putridae colliquativa adeo multiplicantur, ut alterius effectus, alterius sistat causam, et malum alterum per alterum increscat, regeneretur et exasperetur. Omnibus autem liquationis septicae productis proprietas competit, in materia organica vivente eundem processum morbosum, cuius progeniem sistunt, concitandi, talique ratione semet multiplicandi. Qua ex ratione processus putridus ceu summum colliquationis culmen, non solum ad propinquas proserpit partes, massamque organicam sanam in analogas concitat mutationes, verum etiam producta ejus morbosa, tabum utpote gangraenosum, vel effluvia putrida in formam aëream reducta, in ipsis sanis individuis morbosas sistunt metamorphoses, quarum vi similis emicat liquationis processus; unde intelligitur producta scorbuti putrida in verum posse degenerare contagium, quod tamen non omnes perfectorum contagiorum agnoscit dotes, atque ideo tantum semicontagiis adnumeratur.

§. 65.

Ex hac denique scorbuti natura intelliguntur damna, quae in hoc rerum statu parant substantiae principiis phlogisticis onustae, uti victus animalis, narcotica, spirituosa et s. p. beneficia ex adverso substantiarum oxygenio abundantium, acidorum nempe tam vagabilium quam mineralium, dummodo in viam circuli introducantur, perque gradias mutationes assimilentur.

T e r m i n a t i o n e s.

§. 66.

Nisi vires aegrotantis organismi medicatrices congruis

artis auxiliis, vel horum vices agentibus circumstantiis secundis suffulciantur et dirigantur, restituendae saluti vix unquam pares sunt, cuius ratio delitescit in ipsa scorbuti natura. In casu felicis morbi resolutionis vigor virium increscit, maculae petechiales diluuntur et dissipantur, animus motore confectus erigitur, adpetentia ciborum insurgit, somnus reficiens sese insinuat atque profluvia morbosa continecent, longo tamen convalescentes egent tempore, ut pristinam virium et habitus externi recuperent integritatem. Ubi haec non eveniunt mors scenam claudere solet, quae nonnunquam in scorbuto maligno et vere perniciose jam in primo suboritur stadio, communissimas tamen ejus largitur rationes paralytica virium resolutio, atque septicus massae organicae status, quibus rapido saepe passu increscentibus, principes vitae motores prosternuntur et extinguntur. Ad hancce mortem ex improba virium prostratione ortam plurimum conferunt colliquativa diversi generis profluvia, imprimis autem haemorrhagiae, quae quandoque interiora versus directae sub lethali syncope extemplo perimunt agros. Scorbutus topica quadam inflammatione, aut sphacelo organi nobilioris comitatus, mortem parat in gratiam sublatae functionis palmariae ad vitam sustendandam absolute necessariae, vel fatalium successionum ichorosae effusionis.

§. 67.

Erepti feliciter ex orci fauibus aegri raro integrum recuperant salutem, verum ut plurimum diversa postuma experiuntur mala, ut debilitatem chronicam universalem, vel partiales organorum digerentium aut functionum nervosarum languores; unde dispepsia, cardialgia, amayrosis, surditas, amnesia, paralyses variae, tussis diurna, asthma, viscerum abdominalium emphraxes, hypochondriasis, aliave reproductionis organicae vitia, ut hydrothorax, hydrocardia, ascites, hydrorrachia et febris scorbutum super-

rantibus labes solennes. Saepe ut malum scorbuti posthumum remanere solent dolores chronicci diversi, rheumaticis, arthriticis et osteocopis affines, crebrius adhuc molesta artuum contractio, nequaquam semper malignam partium molium devastationem pro matrice agnoscens, verum rigorem earum diuturnum, quo vectes moventes detenti motui inepti redduntur, in alterutro vel utroque simul genu sedem eligere amans.


P r o g n o s i s.

§. 68.

Quatenus scorbutus processum vegetationis eminenter obrutum et labefatum supponit; eatenus etiam caeteris paribus semper insigne portendit periculum, quod eo magis increcat necesse est, quo altior fuerit debilitatis concomitantis gradus bonesicos eludens naturae conatus. Quare in prae-sagienda vita et morte, virium conditio praeceteris considerari debet; ideo in principio majorem spem recuperandae salutis policeri licet, quo autem profundiores egerit radices eo magis illa redditur ambigua; ubi vero integre invaluit, nulla amplius spes adfulget salutis. Pessima igitur scorbuti forma est, quae colliquatione universalis et praecepsiti virium lapsu stipatur. Ob eandem ergo rationem cunctae circumstantiae, quae ad illius ortum contribuunt, uti prava subjecti ante morbum constitutio, deleteria causae efficientis natura, epidemiae maleficae dominium, complicatio cum morbis in vita organica profundas radices fagentibus, therapia perversa, vel necessariae curae neglectus tristem omnino policentur eventum. Hinc alto moerore adflicti, implacabili patriae desiderio (nostalgia) flagrantes, bibones, helluones, venere exhausti, syphilitico viro infecti raro scorbutum superare solent.

§. 69.

Symptomatibus vero summe ominosis accenseri meren-

tur omnia illa, quae maximum colliquationis et debilitatis paralyticae gradum indicant; qualia sunt diversa profluvia colliquativa, uti sudores, diarrhoea; haemorrhagiae effrenes, petechiae amplae, lividae, atrae atque echymoses; physiognomia aegri tristis, inopinatus virium ab incunite morbo lapsus; dilirium, sopor, carphologia, vox stridula; singultus, meteorismus pertinax; conditio urinae crudae et limpidae, vel lutosae et graveolentis, pulsus parvi, inanes, vermiculares, intermittentes; animi deliquia. Fatalis quoque erit prognosis, si partes exulceratae in gangraenam festinant. Majori adhuc metu terret gangraena viscerum nobilium e suis signis dignoscenda. Maxime vero exitiosum erit praesa-

 gium, si causae organismo inimicæ, viresque continuo consumentes evitari nequeant; quare popularis constitutionis ingenium salutis spem mox auget, mox iniminuit. Neque ex toto tutus est niger etiam si mortis avertatur casus, nam non semper in medentis potestate situm est, postuma averttere mala. Enim vero saepe sub optima salutis recuperandæ spe, clandestinae phlogoses, viscerumque diversæ accedunt labes, mortemque nulla amplius arte avertendam moluntur.

Ratio medendi prophylactica.

§. 70.

In cura scorbuti rite adornanda, plurimum interest, ut causæ efficientes cognoscantur, et cognitæ in quantum fieri possint, amoveantur, vel saltem enerventur; tali enim ratione non raro succedit nascentis morbi germen destruere, ejusque impetum mitigare, ac instans inde periculum averttere. Quousque enim seminium morbi extinctum non fuerit, nec morbi eradicandi spem ullam concipere licet. Quare in hoc opere ad illa potissimum respicere oportebit momenta, quorum concursum generationi scorbuti cumprimis favere experientia testatur; uti sunt aër mephiticus et ejus scaturigl-

nes, cohabitatio plurium individuorum, sive sanorum, sive aegrotantium in locis angustis, in navibus bellicis, in carceribus, castris, urbibus obsessis, nosocomiis etc., victus ratio prava, anonae charitas, miseria, immundities etc. Remedia, quae immediate deleterias aëris qualitates corrigunt, destruunt et annihilant, sunt perflatus, ignis et suffimenta.

§. 71.

Aër atmosphaericus quorumvis inquinamentorum activitati delendae adeo idoneus est, ut per paucum tantum tempus ejus influxui exposita, suam amittant virtutem, ideo conclavia aegrorum et sanorum diligenter eventillanda, sine ullo temporis respectu, venti vero aequinoctiales e salubribus oris spirantes saepe improvise tales epidemias dissipare solent *).

§. 72.



Majorem adhuc in destruendis ejusmodi mephitibus includit efficaciam ignis, jam priscae antiquitati notam. Sic Hippocrates Acronis Agrigentini, aut Jachenis Aegyptii exempla imitatus, furentem tota Graecia pestem, accensis passim per compita ignibus profligavit. Flamas item ligno Juniperi accenso motas et per cubile circumlatas semper propicias abunde vidimus. Suffimenta resinosa Jnniperi, Olibani, Mastiches, Styracis, Benzoës et similiūm, deducto certe ab Aegyptiis more, apud quos vetus consuetudo fuerat, ut aërem conclave et templorum quotidie suffitibus e resinā et myrrha adolerent, ab aliis nimis laudantur, vilipenduntur ab aliis scopo aërem conclave depurandi. Pluribus tamen observationibus comprobata habemus, odoris fortioris in nociva mephitum vi mitiganda potestatem. Sic obser-

*) Svietenii Comment. in Aphorism. Boerhaavii. Tomus V.
§. 1407.

vatum fuit loca aromatum promptuariis vicina a scorbuto intacta fuisse; sic quoque constat homines immunes ab eodem mansisse; qui navibus construendis occupabantur, dum perpetuo versarentur in aëre piceo odore imbuто.

§. 73.

Si naturam fomitum mephiticorum consideremus, iam a priori concludere licet, in substantiis oxygenio scatentibus maximam mephites destruendi virtutem latere, quam experientia reapse abunde evicit. Praestantissimum idcirco remedium adversus omnia atmosphaerae inquinamenta praebent vapores aceti et acidi nitrici, praeceipue autem vapores oxymuriatici a praeclaro inventore Guyton-Morveau *) nomen adepti, dummodo ea cautione adhibeantur, ne stimulo suo organa respirationis offendant. E muriatis sodae unciis tribus et oxydi Manganosi drachmis tribus, cum acidi sulphurici drachmis septem, et aquae uncia una dilutis, et in vase vitro tritis, chlorum forma vaporis extricatur, quo atmosphaera optime depuratur. Simpliciorem methodum recentiori tempore propo-
suit Laborraque **) scilicet opere chloricreti calcis et so-
dae, aqua soluti, vel tantum humectati; quod tamen inven-
tum vix potest dici novum, quum jam Anno 1774 Cheve-
nix ejus ideam conceperit, atque serius Percy contra gan-
graenam nosocomialem et Masuyer contra Typhum pestilen-
tialem Europaeum Argentorati grassantem adhibuerint. De-
puramus porro aërem optime extinguendo seaturigines me-
phitum, uti sunt cohabitatio plurium individuorum, sive sa-
norum, sive aegrotantium in locis angustis, immundities,
paludes, aquae stagnantes, vapores canabis et corri, impri-

*) Trite des moyens de desinfecter l' air. Paris. 1802.

**) Laborraque de l' emploi des Chloruret d'oxide de sodium
et de Chaux. Paris. 1825.

mis autem bellici tumultus, qui omnis generis calamitatum foecundissimam praebent matricem. Quare plurimum interest, ut funesta plurium hominum sive sani sive aegroti sint, in angustis locis adecumulatio interdicatur, ut aer omni die renovetur, vel suffitibus acidis depuretur, ut maxima aegrorum et vestium mundities servetur, cannabis in aqua fluviatili ab oppidis remota maceretur, canales ad stagnantes aquas derivandas undique ducantur, verbo nullum praesidiorum quibus Hygiene publicam civium salutem tueri docet, intentatum relinquatur.

§. 74.

Aliud praesidium providens quo hominum salutem contra scorbutum tueri studemus, offert aptum vitae regimen, iam antiquitus summis encomiis celebratum, prima proin sollicitudo erit, ut omnia morbum excitantia quoad usque licet arceantur, et opposita ipsis substituantur, ita tristitiae gaudium, otio moderatum corporis exercitium, labori quies succedat; atmosphaera humida cum secca, frigida cum temperata commuteatur, victus sufficiens incongruo congruus, dispesto eupeptus, diu servato recens, salso blandus, fatuo conditus praesertim e regno vegetabili desumptus substituatur. Cum vero in longis itineribus maritimis et urbibus obcessis, saepe caro et cibi vegetabiles recentes deficiant, congrua surrogata in usum vocanda erunt, carnis optimum surrogatum largitur gelatina animalis e carnibus teneris et ossibus extracta, in debita aquae calidae quantitate soluta, et cum pane bis cocto in usum vocata, surrogatum vero cibi vegetabilis aptissimum praebet brassica capitata alba acetata, cuius virtute Illustrissimus Cook inter alias ingeniosissimas cautelas, longo suo itinere terris iactatus et undis, semetipsum suosque servabat incolumes. Simili ratione defectui potus medendum, aqua recens in navibus et urbibus obcessis optime et diutissime conservari potest in dolii superficie interna crusta carbonacea obductis.

Præter aquam alia quoque potulenta, ut cerevisia bona, vi-num et liquores spirituosi magnam sibi vindicant in arcendo scorbuto potestatem, partim eo quod vigorem corporis et ani-mi erigendo, affectuum deprimentium noxios in organismum influxus imminuant, partim eo quod organa haematopoëseos melius disponant, eademque oxygenio suscipiendo, assimilan-do atque sanguini ab heterogeneis depurando reddant magis idonea, partim denique eo, quod ipsa oxygenium suppeditando nociva et organismo aduersa cohibeant principia.

§. 75.

Plurimum denique interest, ut tam aegri quam illorum curae dicati timiditatem et formidinem, omni qua par est, ope-ra dispellant ac removeant. Saluberrimum hilaritatis esse in-fluxum in hominum valetudine contra miasmatum iniurias fir-manda iam antiquitus notum erat. Ita progressibus dirae, illius pestis, quae nomine atrae mortis saeculo decimo quarto totam peragravit Europam, Pontifex Romanus Maximus sapientissime sane opposuit universalem peccatorum remissionem, ut fracti hominum animi erigerentur et firmarentur. Pari sco-po iussit quondam Bernensis Magistratus convivia, epulas et ludos publicos haberi, quibus populus continuo laetus ab omni animi desperatione liberaretur. Illustrissimum demum pree-buit nobis exemplum fatalis illa ante triennium Cholerae Indicae clades, quae tristium et timidorum lapide ferroque munitas penetravit fores.

Ratio medendi therapeutica.

§. 76.

His praemissis sequitur ut exponamus quae nam remedia pharmaceutica cum fructu scorbuto possint opponi. Omnis thera-pia eatenus tantum efficax censeri potest; quatenus utriusque actionis organicæ statum abnormem immutare et ad derelictum

salutis tramitem iterum reducere valet. Id autem triplici potest praestare modo, nimirum partim causas efficientes remo- vendo, partim earundem productum, seu causam proximam extinguendo, partim denique subsequos huius effectus debel- lando, remediiis cuiilibet e diametro oppositis. Methodum pri- mam iam in cura prophylactica innuimus, sequitur igitur se- cunda, remedia nempe indicans directe contra statum morbi agentia pressius perstringenda. Cum vero scorbutus per in- tegrum decursum suum nequaquam semper eundem praesef- rat statum; ideo haec quoque methodus nequaquam semper eundem observabit tenorem. In exordio eius nou raro viget aliqua virium exorbitantia, quam remediis leniter antiphlo- gisticis et refrigerantibus moderari oportebit, sanguinis eva- cuatio rarissimis tantum in casibus urget, ubi nimirum vel nimius sanguinis impetus, vel superstes quaedam phlogosis gra- viter cum primis liquationis initiis cohaeret, atque tunc ut plurimum tantum topica suspicianda. Ubi vero fracto phlogo- sis impetu, asthenicus subintrat status, ad excitantia pau- latim transeundum erit, attendendum tamen semper, ne solam debilitatem graviorem scorbuti causam arguamus, talique ra- tione seducti medicamenta excitantia sola liquationi arcendaē sufficere credamus; etenim pharmaca stimulantia vasorum systemate potentius irritato, sanguinis impetum augent, ae- stum magis incendunt, sicque expansionem alioquin iam ex- cessivam promovent, haemorrhagias invitant, atque dissolutionis processum, quem coērcere intendunt, magis athuc prae- cipitant, sicque toties aperte nocent. Quare confugiendum erit ad remedia virium vitalium conditioni et naturae scorbu- ti rectius admodumata.

§. 77.

Cum natura scorbuti consistat in haematopoësi eum in mo- dum alterata, ut sanguis inde emergens principio vitali egenus, sumnum ostendat in dissolutionem nisum; remediorum igi-

tur hoc intuitu adhibendorum actio talis esse debet, ut labentem humorum et praecipue sanguinis vitam erigat, principia phlogistica uberioris extricata et in dissidium prona figat, sicque nisum in expansionem infringat, in cohaesione vero conciliat, verbo ut universam exaltet vegetationem. Quod quidem nennulla remedia ex nota eorumdem in aliis morbis efficacia praestare valent; sunt tamen alia, quae singularem in coercenda dissolutione ostendunt virtutem, atque ideo a medicis practicis adprime Antiscorbuticorum et antisепticorum nomine insigniuntur. Quo spectant nutrientia, acida, stimulantia et roborantia.

§. 78.

Nutrientia quatenus vegetationis processum intendunt, talique ratione conditiones dissolutioni adversas inducunt, in cunctis morbis e statu liquidationis oriundis maximam defendunt utilitatem. Prae cellulunt vero hoc intuitu nutrientia vegetabilia, ut quae oxygenio scatentia, partim organa haemato-poëeos melius disponunt, partim ipsa oxygenium suppeditando nociva et organismo iniqua principia arcent. Notandum tamen hunc remediorum ordinem eo certius et tutius morbo mederi, quo hic recentior, ac proinde humoribus specialius fuerit adstrictus, proiectiore vero mali aetate semper cum aliis remediis esse conjungendum.

§. 79.

Inter quae acida omni jure eminentissimum merentur Iocum, ut quae causae scorbuti proximae directe inimica subtractum sanguini oxygenium resarcint, et accumulata in eo principia heterogenea obtundunt, deponunt atque expellunt, debitam proin inter elementa adversa reducendo rationem, normalem vitae restituunt modum, agente manifeste quod in substantia sua includunt, aut ex eadem evolvunt oxygenio; unde eo tutior et certior eorum actio, quo majorem oxygenii ge-

runt quantitatemi, aut potius quo facilius illud dimittunt sanguini uniendum. Praeplacent tamen medicis practicis vegetabilia p^{rae} mineralibus, et ex his, nativa p^{rae} artefactis, ut quae naturae animali magis homogenea et amica, facilius resolvuntur et assimilantur, uti sunt succus rubi idaei, berberum, ribesiorum, cum primis autem citri, cui specificam auctores contra scorbutum tribuunt virtutem. Adhibetur optime succus ejus expessus aqua et saccharo remixtus; vel secundum Clarissimum Lindium vini albi generosi libra una miscetur cum succi citri recenter expressi et cacchari albi anunciiis duabus, unde aeger omni biborio medio vasculo coffaceo sumere iubetur. Altior liuationis gradus etiam artefactorum usum exposcit, uti acidi acetici, tartrici, malici et oxalici, imo his non sufficientibus, ipsorum etiam acidorum mineralium opes implorare jubet, in quibus major exstat copia oxygenii eo facilius extricandi, quo maiorem inveniat in organismo principiorum phlogisticorum antithesim. Praestat vero pro usu interno acidum sulphuricum dilutum; ad drachmam unam usque duas, ex aqua saccharo condita, vel decocto quodam mucilaginoso, uti malthi porrectum, ut quod et digestionem facilius subit, et melius fertur ab aegris. Multi elixirium acidum Halleri, vel elixirium vitrioli Mynsichtii p^{rae}ferunt. Alii autem acido muriatico multo majorem tribuunt virtutem *) p^{rae}primis si fomes putridus in primis viis redundet. Goeden acidum phosphoricum adprime respondisse testatur **) Hydrochlori vero virtus antiseptica a neotericis eminenti, qua pollet cum elementis phlogisticis p^{rae}cipue cum hydrogenio adsinitati adscribitur.

§. 80.

Nuperrime novum innotuit antisepticum, kali utpote mu-

*) Fortis in den Abhandlungen für praktische Aerzte. B. XIV. S. 437.

**) Goeden von der Arzneikraft der Phosphorsäure gegen den ansteckenden Typhus. Berlin. 1815.

riaticum oxygenatum, quod tantam quantitatē oxygenii resoluti includit, ut vix cum alio quodam aequipari possit remedio. Exhibitetur forma pulveris ad dosim duorum vel etiam quatuor granorum. Sub ipsa vero pulveris confectione summa providentia observanda ne explodat. Cel. Wright salem culinarem acidis vegetabilibus copulatum ut efficacissimum laudat remedium antisepticum *); alii alumini crudo majorem tribuunt virtutem.

§. 81.

Acidis analogas vires exserit vinum generosum, quod si dulce simul fuerit, praeter refectionem momentaneam etiam nutrimenti vices agit. Absint vero sub usu ejus omnia indicia incitatae reactionis vasorum, vel topicae sanguinis congestionis. Superba hoc intuitu vina sunt: Rhenanum, Champanicum, Burgundicum, Portugallicum, Hispanicum, Italicum et quae patrum solum producit, Pestiense, Szereciense, Neszméliense, Agriense, Villanense, Sexardiense, Budense, Tokayense et Ménesiense. Egenis spiritus vini cum aqua remistus pro potu inservire potest. Cavendum tamen ne aegri inebrientur, quod tanto facilius accidit in illis, qui ex consuetudine vino non utuntur. Bibonibus vero audaciōri etiam manu porrectum minus nocere solet.

§. 82.

Ast quamvis remedia acida principia naturae phlogistica assimilando et figendo, rapidiori materierum organicarum consumtioni et resolutioni eminenti in gradu renitantur: male tamen altius provecto et ad solida justo magis protenso extinguendo vix unquam sola sufficiunt, quare si quam adhuc restituendae salutis spem concipere licet, semper cum aliis


*) Wrigth, Transactions of the American philosophical societies. Vol. II.

cooperentur oportet; quo spectant praeccipue stimulantia et
roborantia.

§. 83.

Stimulantia ex quocunque regno petita, quatenus fractas excitando vires functionum languori succurrunt, insigniter scorbuto mederi solent, quorum tamen applicatio summam medentis providentiam exposcit, nam quemadmodum languens favilla nimis languido aequa ac nimis impetuoso extinguitur sufflatu; ita etiam gliscens vitae flamma resuscitari nequit, nisi iusta adhibetur incitamentorum mensura, sive recta quae ad salutis metam dicit servetur diagonalis. Quod opus profecto difficillimum nonnisi a prudentia medici, et oculo sincera experientia armato dependet, iuvabit tamen adnotasse semper a lenioribus inchoandum esse stimulis, ac pedetentim solum ad valentiores ascendendum, donec optatum ciere licuerit reactionis gradum. Quales stimulos adprime largiuntur plantae quaedam cruciatae, ad classem Linnaei decimam quintam spectantes, ut *Cochlearia armoracia*, *Nasturcium aquaticum*, *Beccabunga*, *Allium sativum*, *Allium cepa*, *Raphanus rusticanus*, semina *sinapis albae* et *nigrae* etc, quae oleo ac thereo acrimonia potentiori instructo secatentes, organa vitae plasticae ministra singulari modo excitando, languidam materierum organicarum regenerationem, et retentam sanguinis venosi in arteriosum conversionem ad pristinam alacritatem reducunt. Adhibetur vero harum plantarum vel herba recens forma lactucae, vel succus expressus saccharo remixtus, ad unciam unam, usque tres per decursum diei, vel radix aut in partes minores divisa, sale, aceto et oleo, imo interdum etiam pipere condita, aut forma cerevisiae et vini medicati, ita ut pro singulo aegro, Radicis cochleariae armoraciae, Raphani rusticani ana unciiis duabus, seminum sinapis nigrae unciae semis superfundantur cerevisiae, vel vini boni librae duae, quod loco frigido per quadraginta octo horas vase sue-

pius exagitato servatum colatur, et aegro omni bihorio me-
dio vasculo coffeaceo sumendum porrigitur. Atquo haec re-
media saepe saepius sola, vel prioribus copulata arcendae li-
quationi sufficient; verum tamen haud infrequenter contingit,
ut sub usu illorum vita magis magisque languescat, et proces-
sus liquationis insigni ratione increscat. Quare ad poten-
tiores stimulos adhibendos et ratio et experientia nos iinvit-
ant, ut Calamum aromaticum, Cinnamomum, Zedoarium, Bac-
cas Juniperi, Frondes Sabinae, Turiones pini, camphoram, aci-
da mineralia dulcificata et Naphtas, quae inter aether sul-
phuricus et aceticus praestantissima ferunt subsidia; ut quae
ventriculo caeteris magis amica; digestionis munus conserva-
re juvant, spasmos intestinalium resolvunt, vires nervosas re-
focillant, atque ob gratum saporem et odorem, etiam iis pos-
sunt exhiberi aegris, qui pharmaca contemnunt et aversantur.



S. 84.

Cum vero effectus horum stimulorum saepe ita rapide
praeterlabuntur, ut repetitis etiam vicibus adhibiti morbo
coercendo non sufficient, res ipsa monet ad talia simul con-
fugiendum esse remedia, quae viribus erectis constantiam
concilient. Praestant autem hoc omnia remedia amara, ama-
ro-aromatica, martialia et adringentia, ut quae solidis co-
haerentiam, fluidis vero plasticitatem impertiendo, non so-
lum virium energiam intendunt, verum etiam mobilitatem
excessivam componunt, potiora autem, quae hoc scopo pra-
cticis arident pharmaca sunt, Absynthium, Gentiana, Tri-
folium fibrinum, Centaurium minus, Simaruba, Cassia li-
ligneæ, et Cascarilla, forma infusi, decocti, extracti et tintu-
rae; praecipuas tamen laudes sibi meruit cortex peruvianus
forma decocti saturati, extracti vel tinturae; pulvis
enim chiae ventriculum mole gravat et a debilibus ejus
viribus difficulter subigitur. Ubicunque autem clandestina
in visceribus viget phlogosis, ubi pulsuum plenorum et sub-
durorum conditio superstitem in systemate vasorum indicat

irritationem, damoso chiae usui mulcilaginosa interponantur, atque e priorum classe ea seligantur, quae uni alterive organo magis amica sint, et electiva quasi ad illud ferantur adfinitate, ut *Polygala senega*, *Gummi ammoniacum*, *spiritus salis ammoniaci anisatus* in pneumonitide suborta summe proficia; in affectionibus vero tubi enterici aromata stomachica opiatis copulata. Omnibus autem his incassum tentatis testante Neumann suppetias tulerunt foeces cerevisiae, ad uncias sex usque duodecim praescriptae, et omni bihorio duabus cochlearibus cibariis aegro porrectae.

§. 85.

Ubi vero non obstantibus tot tantisque scientiae et artis medicae conatibus, improba virium resolutio continuo increscens in paralyticam degenerat astheniam, symptomatibus nervosis altioris gradus stipatam, ut sovre apoplectico, vaniloquiis ininterruptis, singultu, tremoribus, convulsionibus, carphologia, crocodismo, sphincterum resolutione et s. p. Alcali volatile, spiritus cornu cervi, liquor ammonii succinus, oleum animale Dippelii, castoreum et moschus valentissima suppeditant remedia.


§. 86.

Praeter recensita hucusque remedia, quae ad penetralia organismi recepta beneficos suos diffundunt effectus, etiam externa adhibemus subsidia, ut lotiones jam cum aqua sola, jam cum aceto vini bis terve per decursum diei instituendas, in casu majoris virium prostrationis, cum infusis herbarum aromaticarum saturatis, ut chamomillae, lavendulae, serpylli, melissae, menthae crispa, menthae piperitae etc. permutandas. Ubi vero nec his optatum ciere licet effectum, acetum aromaticum cum camphora, seu acetum antisepticum, spiritum aromaticum et spiritum vini camphoratum substituere solemus.

Ratio medendi symptomatica.

§. 87.

Interim dum his rerum adminiculis morbum in origine suffocare, aut evolutum jam profligare ac ulteriorem disseminationm coercere studemus, haud infrequenter contingit, ut infesta ejus virulentia perniciosa quaedam phaenomena producat, quae aegrum in sumnum conjiciunt vitae discrimen, ac saepe saepius ni promptu feratur auxilium, intra temporis momentum praeccipitant, ideo praeter methodum medendi generalem, symptomatica simul cum indicatione vitali in eundem scopum collimare debet. Perniciosa vero hacc symptomata scorbuti sunt haemorrhagiae effraenes, diarrhoea profusa et exulcerationes foedae.



§. 88.

Haemorrhagiae praeter usum remediorum antisepticorum interni extermi quoque egent subsidiis, queis funestae exinanitionis avertantur sequelae. Prosluvia sanguinis e naribus, utero et intestino recto, optime sistuntur fomentis frigidis, injectionibus ex decocto chiae, solutione aluminis vel acido vitriolico aqua diluto; turundis et pessariis, quae ex hinc carpo conficiuntur, dictis liquidis adstringentibus imbuuntur, atque ostiis cruentis fundentibus admoventur. In casu haemoptyseos, haematemeseos, vel haematuriae, fomenta frigida pectori, epigastrio, vel regioni renali superimponuntur; interne vero bellaria glacie condita et adstringentia fortiora, ut alumina, ferum sulphuricum cum china, ratania, vel extractum fructuum arecae, eatechu aliave similia propinuantur remedia.

§. 89.

In diarrhoea exhaustente, quatenus ex universalis liquationis processu et paralytica virium asthenia procedit, unica

salus in remediis aromaticis, amaris et adstringentibus habetur. Prae aliis visceralibus ac tonicis arrident mentha piperita, cinnamomum, radix colombo et arnicae, contex simarubae, chiae et alia. Pervicaciori vero in casu ad succum catechu, alumen, diascordium et opium refractis radicis ipecacuanhae dosibus nuptum confugere licet.

§. 90.

Exulcerationes scorbuticae non solum aegris molestissimum, sed etiam summe periculosum sistunt scorbuti comitem, quas ideo solerti munditiae cultu pro viribus antevertere studemus. Quamobrem linteamina crebrius permutanda, positio aegri frequenter varianda, echymoses et partes corporis rigidiores diligenter aqua sola, vel aceto vini lavanda, vel etiam unguento e camphora et butyro recenti conflato illinienda erunt. Quam primum vero partes memoratae levem manifestant ruborom, emplastro Diachyli simplici, aut limento ex albumine ovi et spiritu composito abtegantur. Observata vero ulcera sunimum exposcent medentis respectum, imprimis autem ea gingivarum, quae si tantum ad superficiem restricta fuerint, succus citri, infusum salviae cum spiritu cochleariae aut salis, decocta adstringentia corticis chiae, salicis, quercus, tormentillae etc. optatum ferunt levamen, ubi vero latius extensa, aut plane in exerescentia fungosa mutata fuerint, acido citrico, muriatico aut sulphurico contingere, vel pulvere corticis chiae, quercus salviae aut panis adusti conspergere, vel interdum consilio M. Höbling *) cultro tollere convenientissimum erit. Cætera vero per ambitum corporis dispersa, unguento camphorato cum myrra, atque fomentis antisspticis obtegenda, vel his non juvantibus, acido salis concentrato illinienda, vel

*) Dissert. inaug. de ulceribus in genere. Pestini, 1835.

acido pyrolignoso, vel solutione chloratis calcis aut sodae saturata abluenda. Praecipuam vero laudem recentioribus imprimis temporibus foeces cerevisiae sibi vindicarunt. In casu gangraenae humidae cum copiosa ichoris secretione, pulverem corticis peruviani et florum chamomillae vulgaris carboni mixtum, bis de die inspergendum egregie convenire referunt auctores.

§. 91.

In therapia nomatis scorbutici in leviori gradu constituti, sal ammoniacus, aut nitrum multa aquae copia dilutum, addito pauxillo aceti, vel succi citri, innuente Svietenio efficacissima praebent remedia, si os illis crebris elluatur. Evoluto vero sphacelo, acidum salis cum melle rosarum commixtum, ac penicili ope partibus spacelo correptis illinitum, saepius profuisse visum est. Klautsch et Simmons acidum pyrolignosum frequentius votis respondisse testantur. Incassum tamen tentabuntur topica cūjusvis generis auxilia, ni interuis simul medicamentis septica corrigatur diathesis. Quamobrem valentissima remedia antiseptica et cardiaca in subsidium vocare oportet, quae inter cortex peruvianus, acidum sulphuricum et camphora maximam ostendunt virtutem. Cel. Heim emeticoram, Mende vero catharticorum refrigerantium usum proponunt, quae tamen in illis tantum cum fructu adhiberi possunt casibus, in quibus manifesta sordium gastricarum colluvies septicam sustentare juvat diathesim. Viegand, qui hunc morbum declarat pro peculiari malaciae specie, adeoque Stomatomalaciam septicam adpellat, Hydrochlorum dilutum, Chloruretum calcis et acidum pyrolignosum ceu efficacissima laudat remedia, imo in nonnullis casibus ipsum ferrum candens profuisse testatur.

§. 92.

Atque sub his rerum praesidiis, haud raro optata adtingitur meta, ita ut character morbi scepticus vix evolutus in prima duntaxat origine juguletur, vel ultro etiam progressus feliciter coērceatur. Convalescentes tamen lento admodum passu ad pristinum valetudinis vigorem inclinare solent, ita ut non raro plures septimanas, imo etiam menses in recuperandis viribus consumant. Quare ad refectionem accelerandam optima suppeditant praesidia, summa corporis mundities, delectationes amicae atque vina medicata, e cortice peruviano, ferro et cinnamomo confecta, per longius temporis intervallum in subsidium vocata.



Formulae quaedam usitatissimorum medicaminum antiscorbuticorum.

Rep. Malthi mund. molend. fracti uncias duas.

Coq. c. s. q. aquae c. per $\frac{1}{2}$ horam.

Colatura libr. duarum.

adde:

Succi citri recenter pressi,

Sacchari albi ana unicum semis.

M. D. S. pro potu ordinario.

Rep. Vini albi generosi libram unam,

Succi citri recenter expressi uncias duas,

Sacchari albi drachmas duas,

M. D. S. omni bihorio medio vasculo coffeaceo.

Rep. Malthi mund. molend. fracti une. unam.

Coq. c. s. q. aquae c. per $\frac{1}{2}$ horam

Colatura librae unius

adde:

Acidi muriatici oxygenati drach. semis,

Siripi simplicis drach. tres.

M. S. D. omni bihorio medio vasculo coffeaceo.

Rp. Herbae Centaurii minoris drach. duas,

infund. s. q. aquae c. per $\frac{1}{4}$ horae.

Colaturaem unicolorum octo

adde:

Acidi sulphurici diluti drach. semis,

Sacchari albi drachmas tres.

M. D. S. omni bihorio medio vasculo coffeaceo.

Rp. Cort. chinæ selectæ rud. tūsi unc. semis.

Coq. c. s. q. aquæ c. per $\frac{1}{2}$ horam

Colaturaem unicolorum octo refrigeratae

adde:

Liquoris acidi Halleri scrupulum unum,

Siripi cort. aurantior. drachmas sex.

M. D. S. Omni bihorio 2. cochlearibus cibariis.

Sub epistaxi exorta.

Rp. Cort. Peruviani selecti rud. tusi, unc. semis,

Coq. c. s. q. aquæ c. per $\frac{1}{2}$ horam

Colaturaem unicolorum octo refrigeratae

adde:

Acidi sulphurici diluti scrupulos duos,

Extracti Ratanhiae drach. semis,

Siripi rubi idaei unc. unam.

M. D. S. omni bihorio vasc. coffeaceo semis.

Rp. Unguenti de styrace

Pulv. carbonum tiliae ana unc. unam

Camphorae subactae,

Myrrhae electae ana drach. unam

Olei terebinthinae q. s. ut fiat

unguentum.

AUCTORES MONOGRAPHI.

- Bald. Ronsseus, de magnis Hippocratis lienibus commen-
tarius Amstelod. 1564.
- F. Wierus, observationes medicae hactenus incognitae 4.
Basil. 1564.
- Remb. Dodoneus, observ. med. de scorbuto. Antwerp. 1581.
- Hens. Brucanus, propositiones de scorbuto. Hag. Com. 1658.
- Balth. Brunerus, de scorbuto tract. duo.
- Solam. Albertinus, Historia scorbuti Vitemb. 1591.
- Horstius, tractatus de scorbuto Goetting. 1609.
- Senertus, tractatus de scorbuto Vitemb. 1620.
- Van der Mye, de morbis Bredanis temp. obsidionis tract.
duo. Lugd. Bat. 1627.
- Eugalenus, liber de scorbuto. Lipsiae 1662.
- Willisius, tractatus de scorbuto. Lond. 1667.
- Charletonius, de scorbuto lib. singularis. Lond. 1672.
- Harvey, the disease of London; or a new discovery of the
Scurvy. Lond. 1675.
- Dellon, une voyages aux Indes orientales. Paris 1685.
- Dolaeus, med. theoretico-pract. Encyclopediae L. 3. de
scorbuto. Lugd. Bat. 1684.
- Ettmüllerus, col. pract. de morbis humani corporis. Li-
psiae 1685.
- Cockburn, sea diseases; or a treatise on their causes and
cure. Lond. 1696.
- Jacobe, Dissertatio de scorbuto haereditario, casus Erf. 1705.
- Boerhaavius, Aphorismi de cog. et eur. morbis. Ap. 1148.
Norimb. 1708.

- Nitzsch, account of the Scurvy at Wiburg. Commerc. Titular. Norimb. 1734.
- Kramerus, Dissert. epistolica de scorbuto. Vindobonae 1737.
- Hoffmannus, Dissert. de vera scorbuti indole. Hallae 1738.
- Berkeley, a chain of philosophical reflexions etc. on the virtues of tar water. Cork. 1744.
- Ellis, a voyage to Hudsons-Bay etc. Lond. 1748.
- Walter, a voyage round the world etc. by the late Lord Anson etc. Lond. 1748.
- Mead, monita et precepta medica de scorbuto. Lond. 1749.
- Huxham, a method of preserving the health of seamen etc. Lond. 1750.
- Addington, an essay on the sea Scurvy etc. Lond. 1753.
- Bisset, a treatise on the Scurvy for the use of the Britisch navy. Lond. 1755.
- J. A. Bona, tractatus de scorbuto. Veronae. 1761.
- Büchner, Dissertation de scorbuto cum lue venerea complicato. Hallae. 1764.
- Brochlesby, on military hospitals and campdiseases etc. Lond. 1765.
- Macbride, experimental essays. Essay 4 on the Scurvy etc. Lond. 1765.
- Roupe, de morbis navigantium et de scorbuto. Amst. 1764.
- Monro, an occount of the diseases of the Englisch troops in Germany. Lond. 1765.
- Pringls, Beobach. über die Krankheiten der Armen 1767.
- Jervey, Practical thoughts on the pervention and cure of Scurvy. Lond. 1769.
- Lindius, Abhandlung von Scharbock. Nach der 2. Ausgabe aus dem Engl. übersetzt. Leipzig 1775.
- Sprengel, pragmatische Geschichte der Medicin 1780.
- Milman, inquiry into the source of Scurvy etc. Lond. 1782.
- Eh. Lud. Hoffmann, von Scharbock Münster 1782.
- Rymer, Letter to the commissioners for sick seamen etc. Lond. 1783.

- Trotter, observations on the Scurvy. Lond. 1786.
- Bacheracht, praktische Abhandlung über den Scharbock. Petersb. 1786.
- Thomson, essay on the Scurvy med. Journ. vol. LXXXIX.
- Paterson, treatise on the Scurvy. Edinb. 1795.
- Fr. Willman, Untersuchung über den Ursprung des Scorbuts aus dem Engl. 1795.
- Macbride, Nachricht von einer neuen Art den Scharbock zu behandeln 1795.
- Balme, Observations sur le Scorbute pendant le blocus d'Alexandrie Montpell. 1803.
- Fr. v. Schraud, Nachrichten vom Scharbock, welcher im Jahre 1803 in mehreren Gespannschaften von Ungarn beobachtet wurde, nebst Beiträgen zur Geschichte des brandigen Ausschlagens, welcher in Ungarn Pokolvár genannt wird. Pesth. 1804.
- Villers, considerations générales sur le Scorbute Paris. 1806.
- Bellefin, observat. sur le traitement de Scorbute en pleine mer. Paris. 1806.
- Blane, observations on the Scurvy. Lond. 1813.
- Gambray, Dissert. sur le scorbute. Paris. 1815.
- Joannes Illazuk, Dissert. de scorbuto. Vindobonae. 1829.
- Joannes Rausch, Dissert. sistens scorbutum. Pestini. 1824.
- Justinus W. M. Carthy, Dissert. sistens theoriam scorbuti. Vindobonae. 1822.

T H E S S.

1. Sedes scorbuti primaria humores ; igitur
2. Vitia solidorum in scorbuto vero solum secundaria.
3. Causa scorbuti proxima deficiens in sanguine oxygenium,
quare
4. Omnia remedia sanguinis oxydationem promoventia scor-
butum tollere valent.
5. Indicatio operationum chirurgicarum perfectam exposcit
morbi cognitionem ; igitur
6. Omni jure ad forum medicinae referenda , quare
7. Chirurgus medicinae lumine minus illustratus, semper an-
xius operationi manum admovebit.
8. Magnetismus mineralis aequus ac animalis , quemadmodum
antea justo plus a medicis extollebatur , ita hodie justo
plus oblivioni traditur.
9. Magnetismi animalis praecipuus conductor systema ner-
vorum ; hinc
10. Quo hoc magis exaltatum fuerit, eo magis magnetismi ef-
fectus conspicui erunt.
11. Inter cuncta organismi humani viscera hepatis maximus
in animum influxus.
12. Quem sympathica inter hepar et cerebrum relatio aliquan-
tenus quidem illustrare, nequaquam tamen omnino cla-
rum reddere valet.
13. Fons totius vitae plasticae sanguis.
14. Exploratio virtutis medicamenti homoeopathici in homine
sano , nec semper licita , nec unquam sufficiens.

15. Medico morbi sanationem molienti non solum cognitio symptomatum, sed et mutationis organismi internae per quam necessaria, nam
16. Indicatio a solis symptomatibus petita, facile evadit deleteria.
17. In Homoepathia nulla datur diagnosis, adeoque nullus mutationis organismi internae respectus; hinc
18. Quo quis strictius regulis huius doctrinæ adhaeret, eo magis non modo rudis evadit empyricus, sed etiam generi humano damnosus.
19. Diversae medicorum theoriae, tantum abest, ut veritatem medicinae obscurant, ut potius eandem incongruis suis consectariis magis adhuc illustrent.
20. Qui sani remediis utuntur, ut morbos arceant, morbos invitant.
21. Libri medici populares augent numerum agyrtarum et morborum.
22. Physiologia, Pathologia et Chemia de principatu in medicina contendunt.

